genia? Nonne hic fructus eſt, quem ex temeritate veſtra percepiſtis? Quos Deos non coluiſtis? Sol, ac ſydera nonne numina veſtra fuerunt? Ullane adeo abjecta creatura eſt, cui thus non adoleviſtis; & coram qua genua flectere non erubuiſtis? O Dei mei fidem! pretioſam fidem, lumen divinum ſemper lucens, quin conſummetur unquam; quam igitur neceſſe eſt, ut noſtras mentes illuſtres, ne in turpiſſimos errores ruamus! Certiſſimam regulam, quæ ſemper es eadem, & quæ cuicumque perſonarum generi convenire potes; quam neceſſe igitur eſt, omnes te greſſus noſtros dirigere, ut ad veritatis cognitionem perveniamus! Sacra columna, quæ cum tenebris tantam lucem conjungis; quam igitur neceſſe eſt, ut per Ægypti deſerta Domini populum deducas, & illum ab impii Pharaonis exercitu protegas! Quam metuendum eſt, ne qui temeraria curioſitate ſanctiſſime noſtra myſteria ſcrutari audet, pondere gloriæ Domini obruatur. *Idem.*

Fides in pleriſque fidelibus languet, & cur.

Omnino mirum eſt pleriſque fidelium adeo languidam eſſe fidem; at mirum non eſt, ſi eorumdem vivendi ratio advertatur. Homines, qui a cæteris hominibus per fidem ſecernuntur, parum curant illius veritates, ac myſteria cognoſcere; hoc ſatis mirum eſt. Fides eſt ſublimis, obſcura, certiſſima, neceſſaria, fundamentum virtutum omnium, via, & quemadmodum pignus æternæ felicitatis, & negligitur. Quid exiſtimandum eſt de hac negligentia adeo temeraria, & ingrata? Offert illa objecta adorabilia, terribilia, incomprehenſibilia, quod obſequentiſſimam curioſitatem excitare deberet. Illa nobis proponit actionum noſtrarum finem, rationes, & regulas; & quoniam inevitabilis adeſt neceſſitas noſmet ſanctificandi, quonam ardore meditanda nobis eſſent principia, & morum diſciplina, quam continet? Graviſſima ſubimus pericula, niſi illud ſequimur lumen, quo nos illuminat, ac certi ſumus, nos deerraturos, & perituros, ſtatim ac ab ea receſſerimus. Illam ſumus amplexi, eam profitemur, hanc nobis gloriæ vertimus; nobiſque ſufficit vaga, & confuſa idea ejuſdem eſſentiæ, quin ejus articulos ſingillatim ſcrutari velimus; quaſi aliquid ſtudio noſtro indignum contineant. Hæc quorundam fidelium incuria in fidei veritatibus perſequendis, nobis incredibilis videretur, niſi eſſet familiaris. *Liber cui titulus. Remarques ſur divers ſujets de Religion, & de Morale.*

Intellectus noſter animis infirmus eſt, & fidei veritates ſine profunda meditatione comprehendere nequit.

De oculis animæ idem præterpropter eſt ac de oculis corporis; vix objecta a nobis ſemota perſpicere poſſumus, cum ea magis, minuſve pro eorum longinquitate diſtinguimus. Oculorum noſtrorum imbecillitas nimis magnum penetrare ſpatium non poteſt; Aer, qui interjacet, fallaces colores offundit iis rebus, in quas eminus oculorum aciem conjicimus; & oculus facili negotio diſtrahitur, ubi magnum aliquod intervallum debet luſtrare. Supernaturalia immenſo a nobis diſtant intervallo, niſi ſeria animi attentione ea quodammodo oculis noſtris admoveremus, ſperare ne liceret futurum eſſe, ut illa unquam cognoſceremus? Sin autem infinitis diſtrahimur objectis, quæ illa ſemper efficiunt obſcuriora, ac minus perceptibilia, quomodo fieri poſſet, ut aliquam eorum nobis fingeremus imaginem? Chriſtiani terræ huic nimium hærentes quos obices ſibimetipſis ſtatuunt, ne veritatis cognitionem aſſequantur? *Idem.*

Non ſatis eſt credere niſi exerceantur veritates, quæ creduntur.

Si res in eo tantum verſaretur, ut credenda eſſent myſteria ſublimia, admirabilia, ac rationi invia, Idolorum cultor haud ægre in Chriſtianorum caſtra tranſiret. Mens quadam voluptatis afficitur ſpecie ea eminus proſpiciens, quæ comprehendere nequit, eaſque recipiens veritates, quæ in ſe aliquid magnum habent, mirabile, & incredibile. Sed qui Chriſtianam Religionem profitetur, hic amplecti debet myſteria, quæ neceſſarium habent nexum cum cordis ſenſibus, & affectibus: Fidelis morum diſciplina, & fides ſeparari non poſſunt. Fides, quæ nihil aliud, quam ſimplicem ſubmiſſionem exequeretur, fidelem non decet: niſi fidelis eſt, ut ſanctus ſit; ideis quidem, eo caractere ſuo fidelis erit; at dicere non poterit, ſe nomen replere ſuum, & id eſſe, quod eſſe debet. *Idem.*

De vana curioſitate in fidei materia.

Deus duplicem nobis gratiam confert, cum fidem impertit, ac ſimul prohibet ne illius myſteria altius inveſtigemus, Adeo temeraria curioſitas nos in periculum adduceret fidei jacturam faciendi; & inæſtimabiles hoc nobis donum elargiens in eo ſtatu nos conſtituit, ubi humili docilitate eam tueri poſſimus. Deo injuriam afferret hæc noxia præſumptio, qua auderemus inexhauſtas eſſentiæ ſuæ magnitudines, & impenetrabilia ſapientiæ ſuæ ſecreta ſcrutari. Numquid creaturas infirmas, cæcas, contemptibiles decet eouſque ſuos obtutus attollere? nonne eſſet vim infinitæ ejuſdem majeſtati inferre, velle eam noſtra cogitatione complecti? Jure in nos irritatus quodnam poſſet nobis ſupplicium infligere temeritati noſtræ magis conforme, quam hujus jacturam fidei, quæ criminis noſtri fuiſſet occaſio? Nos ipſi divinum hoc lumen ſenſim extingueremus, ſi hanc nobis facultatem vindicaremus objecta adorabilia, quæ nobis proponit, ex mentis noſtri parvitate metiendi. Quo longius in immenſum hoc perfectionum Oceanum progrederemur, eo magis incredibiles inveniremus veritates, quæ in eo continentur. Quotidie nova detegeremus, atque ab intellectus noſtri captu ſemper remotiora; veriſimile ſenſim ex oculis noſtris evaneſceret, ac verum tandem omnino ab illis auferretur. Vanitas noſtra ob adinventa ſua plauderet ſibi, ac ſimul ob inſuperabilem ea comprehendendi difficultatem irritaretur; nihil autem fidei magis oppoſitum eſt, quam ſuperbia. Superbia ſuis fidit cogitationibus; fides præcipit, ut nemini credamus, niſi auctori ſuo, & Eccleſiæ, quæ interpres eſt revelationum auctoris ſui, itaut magis magiſque myſterium ſcrutantibus illud ex oculis elaberetur. *Idem.*

Quam difficile ſit credere myſteria, & veritates fidei noſtræ.

Magno nobis ſtat credere, & fides donum eſt inæſtimabile; mentem ſubmittere contra quæcumque humanæ rationis præjudicia: ea venerari myſteria quæ non videntur, & quæ nequeunt comprehendi: Sola Dei gratia nos dociles præbere poteſt veritatibus, quę a ſenſibus noſtris abſunt longiſſime, atque noſtras cogitationes excedunt. Quam mercedem ſperare poſſemus, quia credidimus, niſi quæ credimus abdita eſſent oculis noſtris, & menti? Æquum eſt, ut ſubmiſſionis noſtræ pretium mereamur; quomodo autem mereri poſſumus, niſi ſub jugum fidei intellectum noſtrum captivemus? Sed iſtic Dei bonitatem admiremur; ille nobis altiſſima proponit arcana ad noſtram docilitatem experiendam, & ad eam animandam promittit futurum ut ea palam nobis aliquando operiat; itaut quod nobis in hac fide crucem figere poteſt, hoc ipſum noſtra eſſe debeat ſpes, atque ſolatium. Credimus, quod non videmus; videbimus, quod credidimus. Si fides eſt difficilis, tanti meriti eſt, ut locupletiſſimam inventura ſit mercedem in eorum cognitione myſteriorum, quæ nunc ſunt ejuſdem objectum. O quam bonum eſt credere! Bonum, quod virtuti noſtræ nihil pollicetur minus, quam poſſeſſionem earum rerum, quas maximas credimus. *Liber cui titulus. Remarques ſur divers ſujets de Religion, & de Morale.*

Fides veram animæ magnitudinem nobis inſpirat.

Cor fide repletum, quod ſe fidei impreſſionibus mancipat, ſolum poteſt veram, ſemperque ſibi æqualem magnitudinem præſeferre. Supra omnes creaturas intra anguſtos terræ fines non continetur, & contemnit quodcumque ſupra ſeipſum non eſt. Omnia citra audaciam aggreditur, quia confidentia ſua eſt ſine incertitudine; ſeſe omnibus præferendis exponit, quia omne robur ſuum a cœlo expectat: in conſiliis ſuis non hæret, non enim conſulit niſi veritatem; futurum illud non ſollicitat, illi enim ſatis eſt ambulare ad fulgorem luminis ipſum illuminantis; periculis, & laboribus non deterretur, nihil enim habet, cujus ſibi habenda ſit ratio. Dummodo glorificetur Deus, labor, & requies, honor, & ignominia, vita, & mors æquo ſunt illi in diſcrimine. *Idem.*

Quomodo fides ſit fidelis gloria.

Fides eſt pręcipua fidelium cujuſcumque ſtatus gloria: & ęque in omni perſonarum genere elucere poteſt. Supra ſanguinis nobilitatem, corporis qualitates, terræ bona de omnibus temporibus, locis, & occaſionibus triumphat, ſubmiſſionem tantummodo, ac docilitatem petit, ut ſuum exerceat imperium, & omnes animę, quæ receperunt illam, ſub jugo illius poſſunt captivari. Eoſdem ſenſus inſpirat animis, quos natura, & educatio ad eadem ſtudia non effinxerunt. Quicumque vere credit, & ſecundum fidem ſuam operatur, nihil habet, quod aliis invideat eorum, quæ nos coram Deo magnos poſſunt efficere. Cogitemus, quomodo ſit nobis de fide cogitandum, ac verebimur, ne auguſto Chriſtiani caracteri per nos dedecus inferatur. *Idem.*

Quomodo in hoc ſæculo fidei veritates rationi ſubmittere mortales conentur.

Numquam fortaſſe tam modicum fidei, & Religionis, quam hoc ſæculo, extitit: numquam enim hanc ſibi quiſpiam facultatem vindicavit fidei veritates humanæ ratiocinationi ſubjiciendi. Quotidie

tidie nova proferuntur ſyſtemata. Curioſitas poteſt ea comminiſci in ſcientiis, quæ traditæ ſunt hominum diſputationi; ſed impietas conatur inſipientibus commentis fidei myſteria ſubmittere. Ita eſt petulans, ac temeraria, ut pro libidine ſtatuat terminos miſerationi, ac meritis Jeſu Chriſti; ut Deo regulas præſcribat in providentiæ ejus ordine ſervandas, ut juxta cæcitatis ſuæ arbitrium quid deceat, quid non docilitatem, cultumque fidelium edoceat. Effodit pertinaci ſtudio quodcumque in dubium revocare poteſt ea, quæ magis authentica traditio confirmat. In ipſa Sacramentorum eſſentia, atque uſu, aliquid indecorum, inutile, & contrarium nanciſcitur. Obſcuriſſimam perſcrutatur antiquitatem, ut affectata pompa in medium proferat cogitationes ſuas, quæ ſacris litteris, Sanctorumque Patrum Operibus fidem valeant abrogare. Veterum hæreticorum veſtigia relegit, ut in eorum factis aliquid inveniat, propter quod immerito damnatos fuiſſe contendat, Dei vias ſcrutatur, ut ibi illuſiones, & falſitates inveniat ad æquiſſimam confidentiam in puriſſimis, rectiſſimiſque animabus extinguendam aptiſſimas. Denique nihil ſacrum, ſanctumque eſt, quod attrectare non audeat, ut illud ſuis deciſionibus, argumentiſque corrumpat. *Idem Tomo 2.*

Fides nimiam curioſitatem pati non poteſt.

Lib. 10. de Trinitate.

Fides eſſe non poteſt ſatis ſimplex, ſatis curioſitatis inimica, ſatis attenta ad inquietam Philoſophiam reprimendam, quæ explicatura, quod credit, ſæpe evertit, quod credere debet: *In ſimplicitate fides eſt; non per difficiles nos Deus ad beatam vitam quæſtiones vocat:* Sanctus Hilarius ait. Coram Deo omnia tacere debent, ratio æque ac ſenſus; quia nihil rationi magis conſonum eſt, quam illum loquentem audire. Laquei ſunt illis parati, qui nimis ſcrutari volunt, nimis inveſtigare. *Auctor Anonymus.*

Chriſtiani male viventes fidem ſuam dedecorant, & ſunt ſcandali occaſio.

Iſaiæ 52.

Si Chriſtianorum vita, quæ eſſe deberet lux coram hominibus lucens, ac in mundo refulgens, ipſa æque tenebris involuta eſt, ac vita Ethnicorum, atque Infidelium; Jure maximo Deus id nobis exprobrabit, quod olim Judæis per Prophetas: *Dominatores ejus inique agunt, & jugiter tota die nomen meum blaſphematur.* Homines vulgo de Religione, ac Deo, qui colitur, judicium ferunt ex vita, boniſque eorum moribus, qui eum colunt. Quamobrem cum Chriſtiani, qui Jeſu Chriſti fidem amplexati ſunt, & qui Evangelicis veritatibus ſunt illuſtrati, vitæ ſuæ ſanctitate religionis, quam profitentur, ſanctitati minime reſpondeant, non poſtremum quod hac in re ſcelus committant, eſt malum exemplum, quod illis tribuunt, qui ſunt extra Eccleſiam, & de his ſcriptum eſt, quod Dei nomen blaſphemant. *D. Bartholomæus Caranza. Tractatu de Oratione Dominica.*

Iſaiæ 52. & Ezech. 36.

Aliquando fides noſtra rationem ex nobis repetet, eo quod vita fidei conformis non fuerit.

Præclara eſt D. Auguſtini ſententia, fidem aliquando apud Deum jus eſſe poſtulaturam. In quem? non contra Tyrannos, qui illam perſecuti ſunt; gloriæ enim ſibi vertet eorum perſecutiones; non contra Ethnicos, qui eam non cognoverunt; eorum quippe infidelitas ipſos quodammodo minus nocentes efficiet; ſed contra nos; at quare? ob omnes contumelias ſibi a nobis allatas; quod illam in inertia, & otio vitæ mundanæ langueſcere paſſi ſumus, quin unquam illam exerceremus, at propter Deum in actum redigeremus; quod illam detinuimus captivam in ſtatu peccati, in quo per cordis obdurationem ſine ullo conſcientiæ tumultu plurimos tranſegimus annos; quod illam coinquinavimus actionibus eo, quod gerimus nomine, & quo induti eramus, caractere indignis; quod illi fidem abrogavimus apud hæreticos infenſiſſimos hoſtes illius, qui certe allatum a nobis ſcandalum, & in illam, & in nos ipſos convertere non ceſſarunt; quod denique, cum per ſe nos efficere poſſet ſanctos, culpa noſtra ſatis virium non habuerit, ut prohiberet, ne impii eſſemus, æterniſque ignibus adjudicaremur. *P. Bourdalove in variis ſermonibus recens editis. Sermone primo de extremo Judicio.*

Dei Filius Deus eſt abſconditus in Euchariſtia.

Iſaiæ 45.

Deus non eſſet id, quod eſt, niſi incomprehenſibilis eſſet; ejuſque miracula hoc nomine appellanda non eſſent, ſi mens humana illa aſſequi poſſet. At voluit magis adhuc, quam in Incarnatione, & Paſſione, propter quas Propheta admiratione captus exclamavit, *Vere tu es Deus abſconditus*, voluit inquam in Euchariſtico deliteſcere Sacramento. Sed quo minus penetrari poſſunt velamenta, quibus tectus eſt, eo magis hæc illum eſſe præſentem annuntiant, & obſcuritas, quæ mihi admirationem injicit, mihi veritatis eſt argumentum. *De-*

um te in his, quorum intelligentiam non complector, intelligo. Verba ſunt Sancti Hilarii, qui ait, unicam veritatis adorandæ rationem, eſſe illam credere; fidem unam cum Dei infinitate aliquam habere rationem, quoniam tam late patet, quam ejus eſſentia, & perfectiones; & quemadmodum ille nullis terminis coercetur, ita hanc nullum docilitati ſuæ finem ſtatuere. *Liber cui titulus; Diſpoſitio pro ſacris Myſteriis.*

Lib. 11. de Trinitate.

Fides non in hoc ſolum poſita eſt, ut credatur, ſed ut fiat.

Fides, quæ adeo perfecto cultu Deum veneratur, longius opinione procedit, & adeo rara eſt, ut Dei Filius hanc quæſtionem proponat; utrum cum homines judicaturus accedat, inveniet fidem, *Indubitata apud Deum fides ardue reperitur*; Sanctus Hieronymus inquit. Rarum, ac difficile eſt habere pro Deo fidem nihil dubitantem, neque hæſitantem. Hæc autem non in eo poſita eſt, ut myſteria, aut veritates credamus ſolum, ſed ut ſecundum illas operemur. Hæc non mentem tantummodo, verum etiam cor ipſum ſubmittit. Hæc origo eſt ſanctarum actionum, ac prodigia fierent, ſi eſſet perfecta. *Idem.*

Per fidem noſmetipſos ſuperamus, mens noſtra ad altiſſimum gloriæ ſuæ verticem attolitur, quippe per illam de ſæculi ſapientia triumphum gerimus, quæ eo uſque pertingere nequit, quo cognitio, & intellectus noſter pervadit. Quænam fidelibus dignitas, ea gloria! Ipſos in terris eaſdem cognoſcere veritates, quas Beati in cœlo, & cum eadem certitudine; Ipſorum mentibus affulgere quemdam Divinæ Sapientiæ radium, ac ſupremæ illius intelligentiæ particulam, ut ſublimia ejuſdem myſteria cognoſcant. *Ex collectione delectorum ſermonum. Sermo de Fide.*

Fides noſtram cohibet curioſitatem.

Ratio, quam nobis dediſti, Domine, recenſenda non eſt inter poſtremos inimicos, cum quibus nobis ſit decertandum; hæc omnes animæ morbos fovet, hæc nova quotidie vulnera infligit, criminoſa curioſitate ſeſe attollens ad omnia myſteria curioſius inveſtiganda. Sed cum illi per miſericordiam ſuam placuerit, quemadmodum arena omnes intumeſcentis maris fluctus conterit; fides omnes mentis tumores infringit, omneſque humanarum argumentationum fluctus repellit, quibus mortalis in Dei viventis Sanctuarium introire conatur. *Auctor Anonymus.*

Sola fides ad ſalutem non ſufficit.

Si ad ſalutem aſſequendam ſatis eſſet credere, prædeſtinatorum numerus ita modicus nequaquam foret; nobis integrum relinquatur pro libidine vitam ducere, quam plurimi dicerent, facile quæcumque nobis dicta fuerint, credemus: ſed fides ſine operibus mortua eſt. Dicant, quantum libuerit, ſe credere Evangelio; nulla tamen ſalus eſt ſperanda, niſi, ut creditur, ita vivatur. Dæmones melius, quam nos credunt; ſed theoreticam habent fidem, væ nobis, ſi ſolum ut illi credunt, & nos crediderimus. Fierine poſſet, ut tota, quanta eſt Chriſtianæ Religionis ſanctitas, fructus omnes exemplorum Hominis Dei, totum Sanguinis ejuſdem pretium, omnis Sacramentorum, & gratiæ ejuſdem effectus ad hoc redigeretur, ut ad ſummum quamdam extrinſecus ſpeciem præ nobis ferremus, & menſuras quaſdam ſervaremus, quæ minime proſunt niſi ut minori cum metu pereamus, eos diſſimulando defectus, qui ſunt nobis communes cum infidelibus? *P. Croiſet Tomo 1. Receſſuum pro una ſingulorum menſium die.*

Fides inutilis eſt, niſi vitam noſtram regat, ejuſque lumina ſequamur.

Quod nobis prodeſt fidem per denſiſſimas idololatriæ tenebras ad nos uſque perveniſſe? ſi ea contemnentes lumina, quibus mentem noſtram illuſtrat, ut Deum cognoſcamus, atque maxime eſſentialia officia noſtra edoceamur, ita vivimus quaſi nullam receperimus fidem, vel ſaltem quaſi dubitaremus de iis, quæ per fidem docemur. Hoc nobis pudorem debet incutere, hoc fidem noſtram dedecorat, atque evertit. Fruſtra nobiſmet plaudimus, eo quod nos elegerit Deus, quos de tenebris in admirabile lumen transferret, atque in fidelium albo recenſeret: ita vivimus; quaſi fidem non haberemus; vel ita vivimus quaſi ambigeremus de iis, quæ nobis fides, tamquam morum, vitæque normam proponit. *Sermo Manuſcriptus.*

Utrum vere fidem habeamus, necne, non niſi ex actionibus noſtris judicari poteſt.

Cum fides ex earum ſit virtutum numero, quæ extrinſecus ſeſe proferre debent, ut ab aliis cognoſcantur, utrum in nobis adſit, necne, nonniſi ex effectibus poteſt judicari. Hæc in nobis mortua eſt, Sanctus Jacobus inquit, cum per bona opera ſe ſe nobis minime oſtendit; cum ea, quæ facimus, iis, quæ credimus non reſpondent; cum naturalem tantummodo vitam ducentes, fidei vitam tam-

tamquam nobis incommodam abjicimus, cum adhærentes falſis argumentationibus rationis adeo fallacis, qualis eſt humana, iis, quæ fides proponit, noſmet ſubmittere detrectamus. Quod ſi fidei ſpiritu non movemur, ſi ejus lumina minime ſequimur, neceſſario inferendum eſt, vel nobis non eſſe fidem, vel nos ita vivere, quaſi nulla nobis eſſet fides. *Idem*.

Mens, & cor contra fidei veritates rebellant.

Scrutemur mentem noſtram, & cor ipſum examinemus, quid plerumque ibi invenimus, niſi pertinaciſſimam rebellionem contra ea quæ nobis fides proponit, niſi ea cum ratione noſtra conſenſerint. Per hunc ſubmiſſionis defectum ſemper principium & cauſa repetitur; dubitatur, ambigitur, ac ſenſus fiunt norma, atque arbitrium fidei; humanitus de rebus divinis judicatur, ac foventur repugnantiæ, quæ ibi ſuboriuntur, dubitationes, quæ percrebreſcunt, & ſuſpiciones, quæ temere concipiuntur. Præ cæteris in fidei materia longius ire quilibet ſtudet, ut nova adinveniat; de myſteriis diſputat, ut cenſoria nota illa perſtringit; inanes proponit quæſtiones de iis, quæ in Eccleſia optime conſtituta ſunt; humanis interpretationib s divinas deciſiones corrumpit; ea comprehendere adnititur, quæ credere tenetur, omniaque curioſius inveſtigare, ut illa apertius intelligat: quaſi in ea religione, in qua tanta mentis ſubmiſſio requiritur, nihil ęquius inveniri poſſet, quam fides rationibus confirmata. Per hos mentis errores in illud labimur malum, quod olim Sanctus Hilarius nonnullis fidelibus exprobrabat, qui diurnam tantum fidem habebant, & hodie credebant, quod cras non erant crédituri. *Fides diurna. Idem*.

Plerique Fidelium non aliter vivunt, quam infideles non habentes fidem.

Si viveremus, ut fideles decet, qui receperunt fidem; aliter proculdubio ab infidelibus viveremus. Eorum cum noſtris vota, affectus, conſilia comparemus, eorum vitam, ac mores cum noſtris conferamus: eheu! quidnam diſcriminis intereſt? Iis inſtituti præceptis, quæ nobis tradit fides, ea omnia, quæ Deus non ſunt, flocci eſſe facienda; numquid terrenis rebus minus adhæremus, quam infideles? numquid ſumus minus affectuum noſtrorum mancipia, minus voluptatum amore inebriati, minus corporum noſtrorum idololatræ, minus ad contumeliam ulciſcendam parati, minus ardentes, iracundi, immites, avari, impudici? Aliane cupimus bona, quam quę cupiunt infideles? numquid minori furore injurias perſequimur? numquid minus nobis dominatur ambitio? minus fluxas terræ hujus opes ſolidis, perfectiſque Cœli divitiis pręferimus? Cum hæc conſideramus, quam procul ab eo termino, quo fides adducit, abeſſe nos comperimus? *Sermo Manuſcriptus*.

Sine ſanctitate, ac bonis moribus nihil proderit habuiſſe fidem.

Quid nobis proderit glorioſo Chriſtiani nomine fuiſſe nuncupatos, ſi infidelium inſtar vitam tranſigimus? Quid proderit credere, ſi factis id evertimus, quod credimus? Jeſus Chriſtus edixit, qui non credit in ipſum jam in anteceſſum judicatum eſſe: *Qui in me non credit, jam judicatus eſt*. At nonne addere poſſum, eum qui credit, jam per fidem eſſe damnatum? Opuſne igitur eſt, quod ſecundum Dei mentem eſſe debet ſalutis noſtræ principium per nefarium ejus abuſum, proximam fieri noſtræ reprobationis cauſam? Opuſne hoc pharmacum in præſentiſſimum virus converti, & ob cœcam, nefariamque vivendi rationem fidem, quæ nos admovens Deo, eſſe debet noſtrę felicitatis cauſa, nobis diem dicere, ac fieri irreprehenſibilem teſtem, acerrimum accuſatorem, ac ſeveriſſimum judicem, qui nos æternæ adjudicet calamitati. *Idem*.

Opus eſt, ut nos fides ſoboret, atque confirmet.

Dei mei fides, quæ tot primis Eccleſiæ temporibus miracula operata es, quæ abuſus abſtuliſti, reformaſti mores, errorem debellaſti, religionem confirmaſti, torrenti iniquitatis adverſata; quæ feciſti ut Apoſtolorum vox in extremis uſque terrarum plagis reſonaret, quæ illos tanta conſtantia ante reges ſtare feciſti; qui tantam Martyribus fortitudinem tribuiſti, ut Tyrannos ipſos, atque carnifices ſuperarent, nos quoque confirma, nobis eam animi fortitudinem elargire, qua Chriſtianos illos Heroas donaſti; fac, ut nos etiam quemadmodum illi, ea diligenter ſervemus, quæ nobis proponis, fac nos eadem amare, cupere, in pretio habere; vitam noſtram inſtitutis tuis conformem effice, & ſpiritum tuum omnibus actionibus noſtris infunde. Alioquin jure dici poterit, nos vivere, quaſi fidem non haberemus, vel quaſi de iis veritatibus, quas nobis proponit fides, dubitaremus. *Idem*.

Solatium, quod ex fide percipere poſſumus.

Seu præterita defleamus peccata, ſeu ob præſentes infirmitates ingemiſcamus, ſeu propter vitę hujus doleamus ęrumnas, quæ quidem juge eſt exilium, ac perennis tentatio; in Dei verbo, in Scripturis, quas Spiritus Sanctus dictavit, in fide illud quærere debemus ſolatium amaritudinibus noſtris, atque illud gaudium, quod nulla humanarum conſolationum mixtura turbatur. Anima, quæ divina hac ſaginatur eſca mox cum contemptu, ac nauſea ima hæc ſolatia faſtidit, quæ tamquam a ſe aliena arbitratur; per fidem quippe didicit neque cum mente carnem, neque cum Cœlo terram eſſe conſociandam; & in ſecreto cordis ſui experitur, quam vere Deus a Sancto Paulo appellatus fuerit: *Deus totius conſolationis. Liber cui titulus, Chriſtiana Documenta; in Epiſtolam Dominicæ ſecundæ Adventus*.

Qui contra fidei veritates operatur oſtendit, ſibi ſatis de illis perſuaſum non eſſe.

Vitæ parum chriſtianæ hæc vulgo prætexitur excuſatio, ſatis jam de religionis noſtræ veritatibus eſſe perſuaſum; ego vero prorſus oppoſitum infero, & aſſero modicam illam attentionem, quæ his omnibus impenditur veritatibus, quæ nos a peccato prohibere, ac poſt illud patratum ad ſinceram perducere pœnitentiam poſſunt palam innuere nobis de hiſce veritatibus ſatis perſuaſum non eſſe. Quorſum autem? quia homo quantumvis parum boni ſenſus, ac rationis habeat, numquam illud negligit periculum, quod ſubit, cum de bonorum omnium, honoris, vitæque ipſius agitur detrimento. Qui non omnem prorſus abjecit ſpem, ſemper cogitabit, illud non eſſe propinandum, quod venenum eſſe novit, neque greſſum proferendum, quo ſcit ſe lapſurum in pręceps. Igitur cum peccator ſatis non attendat veritatibus æternis, quæ ſuppliciorum æternitatem minitantur; liquet huic non ſatis eſſe de illis perſuaſum, ut decet. *Pater Gegovv. Libro cui titulus: Uſus Sacramenti Pœnitentiæ*.

De contradictione fidei cum moribus.

Satiſne perſuaſum eſt nobis de magnis illis veritatibus, quas credere profitemur; & noſtra vivendi ratio probatne illas a nobis credi? Arctus eſſe debet nexus inter fidem, & mores; actioneſque noſtræ, quam religionem ſequamur, teſtari debent. Vocis Jacob vix habetur ratio; ſolæ manus gratias, & benedictiones merentur. In theatris tantum patimur eos, qui plures gerunt perſonas, ſed cum de religione agitur, nihil Deo contumelioſius eſt, quam operibus ſuam fidem mentiri. Mimum agere turpe, ac indecorum eſt; homo ſe Chriſtianum profitetur, hoc eſt ſe credere profitetur omnes chriſtianas veritates, cum interim vitam ducat iis, quas credit, veritatibus prorſus abnormem. *P. Croiſet in Spiritualibus Conſiderationibus*.

Ejuſdem argumenti.

Mirum eſt, inter fideles inveniri quoſdam, qui ea non credere conantur, quæ metuunt; at numquid minus mirum eſt in Religione Chriſtiana aliquem reperiri, qui quod metuit, non credat? Hoc impenetrabile eſt iniquitatis myſterium. Mentis legi ſubmiſſio, cordis contra illius præcepta rebellio; religio ſancta, corrupti ſectatorum ejus mores; fides earum rerum, quæ inevitabilem injiciunt neceſſitatem ducendi vitam integram, ſceleriſque puram, licentia, ac flagitioſa vivendi ratio, quæ omnibus, iis quæ creduntur, palam repugnat. Nimis aperta hæc eſt contradictio, mentem ſtatim avertit; ſubito ad indignitatem provocamur; ſed pauci ad illam animum advertunt, quia pauci in ſe corrigere volunt, quod damnant. *Idem*.

Ejuſdem argumenti continuatio.

Deplorabilis ſane eſt ſors infidelium, at plurimorum fidelium corrupti mores ullamne ſortis melioris ſpem adſtruunt? Quæ infelicitas non eſſe in Eccleſiæ ſinu, nullumque habere jus ad ęternam beatitudinem? at numquam minus eſt malum eſſe filium Eccleſiæ, ac ſe indignum præbere æterna hac felicitate, ad quam nobis jus eſt. Et ſane utrum pręſtat, nihil ferme credere ex iis, quæ credere tenemur, an nihil facere eorum, quæ tenemur facere? Si nihil eorum credimus, quæ fides Chriſtiana proponit, nonne dici poteſt, quantumcumque eſt illud, quod facimus, ſemper nimium eſſe; ſed ſi credimus ea, quæ credere profitemur, fateamur neceſſe eſt nos id faciendo quod facimus, nequaquam ea facere, quæ ſatis ſunt ad æternam ſalutem conſequendam. Cui bono diutius huic veritati immorari, ut pacatius intereamus? *Idem*.

Difficile eſt, eos qui mundum ſequuntur, habere fidem.

Profecto mens noſtra obſtupeſcit, cum reputat hos mortales qui inanibus tantum paſcuntur fortunæ cogitationibus, inanibuſque ideis magnitudinis, qui bonis viris, & iis, quos populum vocant, relinquunt curam adimplendi hominis Chriſtiani officia;

cia; mortales, quorum omne tempus otio abſumitur, & qui non niſi ob Evangelium erubeſcunt; hos mortales, inquam, ſincere credere maxime terribiles Religionis noſtræ veritates, & quidquid Salvator ait de inevitabili neceſſitate ſecundum ejus inſtituta vivendi; magis enim veriſimile videtur, illos nihil omnino de magnis hiſce veritatibus credere. Credunt Evangelium unicam eſſe regulam morum; aliud quodcumque vitæ ſyſtema ad interitum ducere; in viis Domini regulam alteram inveniri non poſſe; & procax ille adoleſcens, impudica mulier, & illi, qui mundi voluptates, & ſolatia depereunt, hoc credunt. Velleſne te hujus fidei vadem prębere? Sed quid cogitandum eſt de moribus huic fidei prorſus oppoſitis? *Idem*.

Quid nos doceat fides, & quomodo in mundo vivatur.

Jugis violentia, numquam intermiſſa mortificatio, novæ in ſingulos gradus cruces, ac nulla crux ſine aliqua victoria: hęc eſſe debet Chriſtiani hominis vita. Præterea quænam pietas humilis, atque perſeverans? Quæ modeſtia exemplaris? Quæ purior charitas ea, quam ab omnibus Chriſtianis exigit Evangelium? Quæ puritas! quæ omne cum ſenſibus commercium interdicit, immo ipſam mali prohibet cogitationem? Quænam æquitas! quæ te jubet contra ipſos etiam conſanguineos ſententiam ferre; potiuſquam vel minimam committere injuſtitiam? Hæc pars eſt legis Chriſtianæ; ſed mortales, qui tempus omne in voluptatibus terunt; hæc multitudo, quę propter avaritiam, aliamve cupiditatem, jugibus negotiis fatigatur; hi omnes ſemper hanc legem ſequi profitentur, & putant, minimam hujus legis prævaricationem majus eſſe malum, quam bonorum omnium, ac ipſius etiam vitæ jacturam. Mundus, ut ait Evangelium, hoſtis eſt Jeſu Chriſti infenſiſſimus; & quidam, qui ex lege debent Jeſu Chriſti ſequi Evangelium, aliam ſibi certiſſimam irrogant legem ſecundum mundi inſtituta vivendi. Monſtroſarum harum contradictionum per ſe ſatis patet iniquitas, longus tamen uſus earum horrorem conſuetudine imminuit. At putaſne adeo contumelioſum legis contemptum umquam præſcribere poſſe? Habes fidem, verum putaſne te per fidem ſine operibus ſalutem conſecuturum? *Idem*.

Qui fidem habet, non eget miraculis.

Qui vere credit, non eget miraculis, neque inſignibus gratiis, ut confirmetur in fide. Quid me hujuſmodi viſiones docerent, hæc ille ſecum, quod jam minime norim? Nulla opus eſt illuſtratione, ubi de nulla re dubitatur; cur ego non vivam æque ſancte ac illi, quibus ſingulares has gratias contulit Deus, quandoquidem credo, quidquid illi viderunt? Nonne æque certus ſum Paradiſum adeſſe, ac ſi illum hiſce oculis conſpexiſſem, atque ad tertium uſque cœlum cum S. Paulo raptus fuiſſem? Numquid opella mea Deo minus erit accepta, quam ſi vel apparitione, vel alio quopiam miraculo me cogeret, ut illi inſervirem? *P. de la Colombiere in Chriſtianis Conſiderationibus*.

Indignum eſt ratiocinari velle de veritatibus fidei.

In omnibus humanis ſcientiis, fides rationem pręcedit; in religionis tantummodo ſcientia fidem ſine ratione habere detrectamus. In hominum diſciplina hominis ſpiritus ſpiritui hominis ſeſe ſubmittit, in diſciplina Dei ſpiritus hominis contra Dei auctoritatem rebellat: Jeſus Chriſtus ſatis non eſt, ut noſtram curioſitatem cohibeat. Quodnam diſcrimen eſt inter præſentem Eccleſiæ ſtatum, & illius incunabula? Primi fideles pro fide mori noverant, ſed de fide diſputare neſciebant; ſanguinem habebant, quo illam confirmarent, non habebant intellectum, ut illam diſcuterent; hodie vero Chriſtiani temeritatem tantummodo habent ut illam intus, & in cute inſpiciant, at ne guttam quidem ſanguinis, qua illam tueantur; ſatis impii ſunt, ut futilibus argumentationibus illam impugnent; at infirmi ſunt, ut morte ſua illi triumphum promereantur. *De Sancto Martino in Quadrageſima*.

Contra eos, qui fidei veritates ad examen volunt revocare.

Flagitioſi, languentes animæ, quæ omnia ſenſu veſtro mentiri vultis, numquamne intelligetis ſacrilegam eſſe temeritatem plus velle ſcire, quam quod vobis liceat? Numquamne hoc cogitabitis, creaturam quidem rationibus, teſtibuſque indigere, ut eorum, quæ dicit, veritatem confirmet; at cum Deus ſit ipſa veritas, verbum illius invictum eſſe teſtimonium? Mentem veſtram per ſingula fidei myſteria circumfertis, de quæſtione in quæſtionem languenti curioſitate feſtinatis, neque ad curioſitatem hanc coercendam ſatis eſt noſſe Deum fuiſſe locutum? *Nobis inquiſitione non eſt opus poſt Evangelium. Idem*.

Fides Chriſtianorum hujus temporis infirma, & languens.

Sanctus Chryſoſtomus loquens ad tyrannos, qui Evangelium flammis addicere volebant, ut fidem extinguerent, dicebat inutilem eſſe eorum conatum, etenim Chriſtiani qui illud credunt, & opere complent, viventia ſunt Evangelia. Fides hodie in ſolis propemodum libris invenitur, non eſt amplius in cordibus noſtris: primorum fidelium ſcientiam habemus; at non habemus conſcientiam? Primi fideles habebant ſpiritum, & opera fidei; nos vero non habemus opera, quia ſpiritum non habemus. *Idem*.

Fides eſt conſtans, ac inconcuſſa.

Fides ſecundum S. Leonis ſententiam *magnarum vigor eſt mentium*. Hæc mentis eſt conſtantia invariabilis, & quæ labefactari non poteſt, Sanctus Joannes Climacus ait; poſtquam Veritas humanam carnem aſſumpſit, & locuta eſt, omnes Academiæ dubitationes, atque incertitudines ceſſarunt, omneſque vagæ cogitationes, & ratiocinationes evanuere: firmiter loquimur, ſine ambiguitate, ſine æquivocis, & fortiter argumentamur, quia credimus. Sed quodnam lumen curioſa, & impia mens fidei ſubſtituit? quodnam eſt illud principium, cui innititur? Hæc, inquit Auguſtinus, ſola eſt humana ratio: *In homine carnali tota ratio intelligendi, eſt conſuetudo cernendi*. Quæro autem, aliquidne infirmius eſt, ac errori magis obnoxium, quam fides huic innixa fulcro? Quantumcumque ſit hominis ingenium, & ſummo acumine polleat, magnis obnoxium eſt infirmitatibus propter nexum, quem habet cum ſenſibus, & materia; & quod nonniſi per corporis organum poteſt operari. Non alia probatio requiritur præter noſtram experientiam; quot in rebus noſmetipſos quotidie decipimus! *P. Texier in Adventu de Impio infelice*.

De fidei neceſſitate atque certitudine.

Omnis ſcientiarum certitudo, quæcumque illa ſit, cum hac comparari non poteſt; ſemper illa quodammodo a ſenſibus pendet, qui ſunt fallaces, ab experientiis, quæ ſunt variabiles, ab argumentationibus, quæ parum rectæ ſunt, ab inductione, quæ univerſalis eſſe non poteſt, ab effectuum connexione cum cauſis, quæ ut plurimum eſt nobis ignota. Ita vix aliquod, vel celeberrimum, reperitur ingenium, quod aliquando in ſatis craſſos non lapſum fuerit errores; & plerique fateri tenentur, poſtquam diu naturalia meditati ſunt, omnem ſpeculationum ſuarum fructum illum fuiſſe, ut paulo æquius, quam homines vulgo, dubitare didicerint. At fides me certum facit, immotumque: ita enim fieri neqnit ut fallar, quemadmodum fieri nequit, ut fallatur Deus. *P. Nepveu in Chriſtianis Conſiderationibus*.

Cum fide actiones ſunt conciliandæ.

Fidem noſtram honorare debemus, noſtram vivendi rationem cum fide conciliantes; credere enim Deum infinite magnum, ac illum non adorare; infinite bonum; & non diligere; infinite juſtum, & non timere; infinite ſanctum, & peccare, hæccine concordant? Credere ea, quæ coram hominibus magna ſunt, coram Deo eſſe deteſtabilia; & magnitudinem illam votis omnibus concupiſcere, credere, Deum maledicta ejaculari in divites, & voluptatibus deditos, atque feſtinanter diteſcere; credere ab ipſo beatitudinem in paupertate, ac lacrymis pœnitentiæ conſtitui, & has perhorrheſcere; credere per humilitatem in cœlum aditum patere, ac ſemper honores conquirere; credere, carnem noſtram crucifigi oportere, ut Chriſtiani ſimus, eamque palpare; credere vim nobiſmetipſis eſſe inferendam, ut ſalvi ſimus, ac nulla in re pati velle: hæccine concordant? Vel fidem immutate, vel mores. Has veritates non credere idem eſt, ac eſſe infidelem; eas credere, & vivere eodem pacto, ac ſi minime crederentur, hoc eſt eſſe inſipientem: *Magna inſania Evangelio non credere, ſed longe major credere, & ita vivere, ac ſi Evangelio non crederes. Idem*.

Mentes perſpicaciſſimæ ſeſe fidei ſubmiſerunt.

Huic unico verbi divini fundamento innixi integri præſtantiſſimorum virorum, qui unquam extiterint, cœtus ſeſe confirmarunt in fide earum veritatum, quæ nulla ratione poſſunt comprehendi: hoc lumine illuſtratæ mulieres, puerique ſine ullo ſtudio didicerunt doctrinam, quam veteres ignorarunt Philoſophi; atque mentem meam incomprehenſibili omnipotentis, æternique Dei magnitudini ſubmittens, eamdem ad ſupremæ magnitudinis cognitionem attollo. Sed e contra quod divinum hoc lumen ſequi noluerunt tot eximia, ac celeberrima ingenia ſua præſumptione excæcata, olim in idololatriæ errores, atque in infamem licentiam ceciderunt. *P. D' Ozenne. In libro cui titulus: Mundus a ſeipſo damnatus*.

De fide ſine bonis operibus.

Qui inutilem, ac omni vacuam fructu in pleriſque Chriſtianis fidem intueretur, nonne cum Sancto Bernardo diceret, illos fidei cadaver habere, ſine anima, ſine actione, ſine motu, quemadmodum accidit nonnumquam, ut mortuum corpus deambulet, caput, manuſque moveat, & exteriora quædam vitæ ſuæ præbeat indicia. Hoc tamen automa eſt; actiones, motuſque vitales eſſe non poſſunt, non enim ex interiori, viventique principio procedunt. Hi motus ad ſummum fieri ſine alienis impreſſionibus nequeunt. *Fromentieres.*

De bonis operibus ſine fide.

Teſtatur Sanctus Hilarius Conſtantinum Imperatorem ædificaſſe templa, ingentes pauperibus erogaſſe divitias, dum Catholicos Epiſcopos haberet in carcere, & in Imperio ſuo Arianam hæreſim tueretur. Adeo verum eſt ſanctiſſima quoque opera ſine fide, ac ſine ſubmiſſione Eccleſiæ ad ſalutem conſequendam minimum valere; ipſa etiam magis cruenta carnis, corporiſque ſacrificia meræ ſunt illuſiones, niſi comes acceſſerit mentis, atque voluntatis ſacrificium. Cordis quoque error eſt Jeſu Chriſti doctrinam credere, niſi & morum diſciplina credatur; myſteriis quidem animum addere, moralibus vero præceptis non item. De Jeſu Chriſti Incarnatione non ambigitur, ſed neceſſitas imitandi illius humilitatem reſpuitur &c. *P. Rapin de ſalutis momento.*

Diu vitioſi eſſe non poſſumus, quin tandem amittamus fidem.

Cur arduum, ac difficile ſit diu ſuſtinere prælium fidem inter, & animi affectum, ut majori cum tranquillitate perfrui poſſimus vitæ voluptatibus, alteram delemus, vel infirmamus, ut roboremus alterum; videlicet ne intermittamus inconditarum affectionum noſtrarum curriculum, in corde noſtro puriores Chriſtianæ Religionis ſenſus, ipſaque rationis lumina extinguimus. Ita exacerbatæ conſcientiæ ſtimulos retundimus; ſine ulla anxietate in licentia prava perſiſtimus, & quaſi affectuum lex ſuavior eſſet lege rationis, & æquitatis, vel quaſi magis glorioſum eſſet brutorum, quam hominum more vitam ducere, malumus non eſſe rationis participes, ut brutales eſſe perſeveremus. *Ex Morali dictionario Sermone ſecundo de Bacchanalibus.*

Fides omnibus præſtat cognitionibus, quæ in hac vita poſſunt haberi.

In cognitionibus noſtris non deeſt quædam ſubordinatio, graviores, nobilioreſque ſunt pro objectorum ſuorum gravitate, ac dignitate. Senſuum cognitio minus eſt perfecta, non enim niſi ſenſibilia reſpicit objecta. Rationis cognitio nobilior eſt, quia verſatur circa objecta intelligibilia, vel ea ſaltem, quæ ratiocinatione ſua quodammodo efficit ſpiritualia: Longe adhuc perfectior eſt fidei cognitio, quia Deum unice reſpicit. Hanc una gloriæ cognitio ſuperat; ſed ad illam ita prope accedit, ut eruditiſſimus Pariſienſis Antiſtes eam *Crepuſculum gloriæ* vocaverit. Gloria palam, ac in pura luce oſtendit Deum; ſed fides illum dimidiate dumtaxat nobis agnoſcendum proponit. Dies nondum perfecta eſt, at neque nox adhuc incubat atra; partim dies eſt, partim nox; quædam albeſcit claritas, quædam tenebræ adhuc ſunt reliquæ; & olim ita Deus populum ſuum ducere voluit. Cum illum interdiu duceret, obſcuræ, atræque nubis inſtrumento utebatur; cum noctu, igneam columnam illis præfulgere jubebat, ſemper fulgori tenebras, & obſcuritati lucem commiſcens. Ita Sancti Patres fidem cum hac comparant columna. *P. Muſſon in Adventu.*

Quænam eſſe debeat fides ad ſalutem neceſſaria.

Fides, quæ ad ſalutem eſt neceſſaria, & ſine qua Deo placere non poſſumus, non eſt fides abſtracta, atque theoretica, quæ mentis tantum lumina ſubmittit, quin domet affectus cordis; hujus generis fides æque dæmonum fides eſt, atque Chriſtianorum, & in juſtis æque ac in peccatoribus inveniri poteſt. Fides viva ea eſt, quæ efficit, ut vita iis, quæ creduntur, conformetur; quæ non majorem voluntati ardorem, quam intellectui lumen affert, nobiſque vim confert earum, quas docet, virtutum exercendarum. Hæc fides potiſſimum eſt neceſſaria, ut anima inter afflictiones roboretur; tunc enim inveniri non poſſunt vera ſolatia, niſi ad Deum confugiamus; quomodo vero ad Deum confugere poſſumus, niſi nos doceat fides, in uno illo confidentiam noſtram eſſe conſtituendam? *Eſſais des Sermons pro vigeſima poſt Pentecoſten Dominica.*

Quomodo juſtus ex fide vivat.

Quid eſt vivere ex fide? Eſt cogitare, uti præcipit fides; de magnis, parviſve rebus, utilibus, inutilibuſve, juſtis, vel injuſtis, non ſecundum arbitria, deſideria, humana, corruptaque ſtudia, ſed ſecundum divini verbi regulas, Evangelicaſque leges judicium ferre. Eſt metum, ſpem, gaudium, triſtitiam, amorem, odium non ſecundum depravatum corrupti cordis guſtum, ſed ſecundum Dei & veritatis lumina regere, quæ omnes cogitationes noſtras illuminare, conſilia omnia efformare, omnia animare deſideria, cœptaque omnia deducere debent. Vis mederi infirmitatem tuam? incipe eas affectiones compeſcere, quæ illam gignunt: incipe credere ex corde, ac ſtatim & mente credes. Omnes voluptates abdicabo, inquis, ſi mihi fidem Deus dederit; ego vero dico, non defuturam tibi fidem, ſtatim ac voluptates abdicaveris. *Flechier Sermone de S. Thoma Apoſtolo.*

Ubi ratio in fidei materia locum habeat.

Ratiocinandum eſt, atque ratione utendum, ut ſciamus utrum Religio noſtra a Deo fluat; cumque ſemel hac in re illuminati fuerimus, ratio eſt deferenda, ut cætera credantur. Si Religionem aliquam amplecteris, quin ſcias, unde exiſtat, inſipiens es; ſi de Religione dubitas, cum ſcias Deum ejuſdem auctorem eſſe, es infidelis. Quamobrem in credente duo ſunt conſideranda; ratio propter quam fidem amplectitur, ejuſque actus elicit; atque habitus, & actus ejuſdem fidei. Cauſa propter quam fidem ſequimur, eſt, quod videlicet ſcimus e cœlo fluxiſſe, & hac in re ratio eſt neceſſaria. Actus fidei eſt eas credere veritates, quas docet fides, quia Deus illas revelavit; ubi nulla ratione opus eſt. Hoc nobis præſignabat ignea illa columna, quæ noctu ducebat Iſraelitas. Inter fidei tenebras in hujus vitæ deſerto ambulamus, ſed rationis fax hac in nocte nobis prælucet, quæ quidem non ſatis eſt ad diſſipandas tenebras, ſed ſatis eſt, ut nos deducere poſſit. Itaque licet in fide ſumma mentis ſubmiſſio requiratur, illam non exigeret Deus, niſi ratione probaretur; hoc jugum eſt, quod rationem captivare debet; ſed hæc antequam illud ſubeat, ſcire vult, utrum ſibi a legitimo Rege imponatur. Tunc illi ſine labore obtemperat, quia nihil adeo æquum eſt, quam credere quod dicit Deus; Deum enim putare non poſſumus, qui fallere poſſit. *Eſſais des Sermons, pro tertia Adventus Dominica.*

De Fide ſine bonis operibus.

Sanctus Jacobus fidem bonis deſtitutam operibus cadaveri comparat, a quo anima receſſit. Quid demortuo corpori prodeſt magnifica efferri ſandapila? num ideo minus vermes naſcuntur? Ibi æque ac in ſepulcro computreſcit, & non ſolum tamquam inutile objectum reſpicitur, quia animatum non eſt, ſed homines inde avertunt oculos, quia citra horrorem illum amplius aſpicere nequeunt; quod ipſum faciet Deus, ubi fidem mortuam invenerit. Audeamne addere, fidem hanc a Sancto Jacobo cum dæmonum fide comparari, qui Deum & eſſe credunt, & contremiſcunt? Aliquod tamen diſcrimen inter dæmonum, hominumque fidem intercedit: noſtra Scripturarum teſtimonio ſolum innititur, fides vero dæmonum experientiæ; experiuntur enim divinæ juſtitiæ ſupplicia, quæ in inferno patiuntur, atque ita de illius exiſtentia dubitare non poſſunt: hæc tamen fides illis eſt inutilis. *Ex Anonymo Auctore.*

Inſpiciendum eſt utrum opera fidei reſpondeant.

Homines illi, qui fidem, ſeveramque morum diſciplinam profitentur, perpendere debent utrum Aaronis oleum a capite ad extremam uſque veſtimenti oram defluxerit: videlicet, utrum hæc cognitio influxus ſuos in omnia vitæ officia pertulerit, ut coram Deo optimum odorem emittant; utrum praxis lumini reſpondeat, utrum Dei amor ſit ejus principium, utrum gloria ejuſdem ſit finis; utrum eadem foveantur peccata, quæ corripiuntur in aliis. Familiare quippe eſt aliena facta redarguere, ac ſibi parcere; aliis præclara morum documenta tribuere, quæ illi in nos ipſos convertant. *Idem.*

De pravis Fidelium moribus.

Quid prodeſt fidem, legemque Chriſtianam profiteri? niſi ut noſipſi intelligamus quidquid in nobis religionis eſt, meram hypocriſim eſſe, & divino cultui exteriores quaſdam cæremonias impendentes præcipuas nobiſmet reſervare curas amori proprio impendendas. Utique; noſtræ hujus ætatis fideles, plerique ſaltem, ſunt, quod Sanctus Hieronymus de ævi ſui Chriſtianis dicebat, tamquam monſtrum ex oppoſitis, atque contrariis conflatum; videlicet ex fide, & infidelitate, ex religione, & impietate, ex obedientia & rebellione, fide quidem, religione, & obedientia in ſpeciem, infidelitate vero, impietate, & rebellione in praxi. Si graviſſima dementia eſt, ajebat ſapientiſſimus quidam ævi ſui Princeps, Evangelio non credere, poſt tot rationes, quæ ſuppetunt nobis, quis furor eſt de veritatibus illius dubitare, ac ita vitam inſtituere, ac ſi eas eſſe fabulas non ambigeremus. *P. D'Ozenne, libro de Divinitate Jeſu.*

Vo-

Rara fides eſt etiam inter fideles.

Vobiſne inceſſerit admiratio, ſi dixerim, raram eſſe inter Chriſtianos fidem, nec loquor ſolum de iis, qui nomine tenus Chriſtiani ſunt, qui hanc ſibi religionem conſtituentes, ut nullam habeant, damnant, quod minime norunt, quin revocent ad examen; qui communes leges contemnentes ignorantiam ſuam ſibi gloriæ vertunt, ac de omnibus dubitant, ne in vulgi abeant opinionem. Cupiditas qua flagrant, omnia ſecum interire, ne divinæ juſtitiæ materia relinquatur, ſolidiſſimæ ſunt eorum rationes, atque hoc lumen, quod illis importunum eſt, conantes extinguere, omnem confidentiam ſuam ſtatuunt in nihilo. Hos incredulos in reprobo ſenſu ipſorum relinquo, ad Chriſtianos loquor, quibus de religione ſua perſuaſum eſt, & fidem, quæ juſtos efficit, affirmo inter ipſos quoque raro inveniri. Profecto fides non in hoc tantum conſiſtit, ut credas; hæc enim fides, S. Jacobo teſte, nobis cum dæmonibus communis eſt: vera fides viva eſt, per charitatem operatur, & ex bonis operibus cognoſcitur. Quæ cum ita ſint, quomodo nefas eſt dubitare, quin religionis fundamenta evertamus, de fide ex operibus feramus judicium. Hic homo, qui fratrum ſuorum malis non tangitur, cujus cor eorum egeſtati clauſum eſt, non patitur manus ſuas eorum neceſſitatibus apertas eſſe, creditne in Jeſum Chriſtum, qui æternam pollicetur felicitatem iis ſolum, qui alienis moventur calamitatibus? Adoleſcens ille, cujus cor nequam a Dei amore divellitur, ut creaturas depereat, & qui nullis parcit laboribus, ſumptibuſque, ut ſuam expleat libidinem, creditne in Jeſum Chriſtum, qui fideles ſuos unice ex cordis puritate cognoſcit? Obtrectator ille, cujus levis, ac indiſcreta lingua tot illi conflat inimicos, quot profert verba, creditne in Jeſum Chriſtum? *Ex Manuſcripto Sermone.*

Ejuſdem argumenti.

Ne miremini, ſi Jeſu Chriſti fides in tam paucis reperitur; omnes quidem credunt Jeſum Chriſtum, Sanctus Auguſtinus ait; ſed heu! quam pauci credunt in Jeſum Chriſtum, & hæc fides contradictoria poteſt appellari: *Multum intereſt, quis credat eſſe Chriſtum, & credat in Chriſto.* Credere Jeſum Chriſtum articulus eſt omnibus hominibus communis, fides & reprobis, & prædeſtinatis, bonis & malis communis: *Dæmones credunt, & contremiſcunt.* *Jacobi 2.* Sed credere in Jeſum Chriſtum eſt ſequi ejus Evangelium, amare præcepta, legibus obtemperare; quod cum mundus fortaſſe nondum ſatis comprehenderit, quotidie oppoſita vivendi ratione contradicit. Et ſane, fideles, qui adeſtis, paratine eſſetis ad ea, quæ Jeſus Chriſtus præcipit, efficienda? Et ſi ex vobis quærerem utrum in Jeſum Chriſtum credatis, paratine eſſetis ad annuendum; an tantum abeſſet quod fidei veſtræ profeſſionem inſtauraretis, ut illam potius ſtatim abnegaretis? Si veſtrum ſinguli juxta ſenſum ſuum mihi reſponderetis, fortaſſe pro fidei profeſſione, triſtem, funeſtamque illius abjurationem faceretis. Ita ſane, fides abjuratur; nam leges Jeſu Chriſti, quas ſequi oporteret, contemnuntur, iiſque contradicitur. Nihil niſi oppreſſio in paupertate, murmuratio in afflictione, faſtidium in humilitate, mœror in pœnitentia, invenitur. Hoc nonne eſt religionem Jeſu Chriſti abjurare, præceptis illius contradicere, contra Evangelium rebellare? Nonne hoc eſt eam negare fidem, quam vos in Jeſum Chriſtum habere gloriamini? *Ex Sermonibus, qui P. Maſſillon eſſe perhibentur. Sermo de obligatione credendi, & imitandi Jeſum Chriſtum.*

Cur voluerit Deus homines per fidem deducere.

Quantumvis ingenii acumine deſtituaris, queri tamen non potes, tibi bonam deeſſe voluntatem; hac autem unice opus eſt, ut credas. Ideo voluit Deus ſapientiſſima miſericordia, fidem aptam eſſe omni ſpirituum generi, ſeu craſſi illi eſſent, ſeu ſubtiles, docti, vel indocti; cum enim abſolute ſit ad ſalutem neceſſaria, atque mentium acumen adeo diverſum; ſimplices, rudeſque ab eadem fuiſſent excluſi; ſed illam in voluntatis ſubmiſſione conſtituit; qua in re docti ab indoctis non differunt. Hæc ratio eſt ab incertitudine, quam ſupponunt increduli ad integram fidei noſtræ certitudinem gradum faciendi. *P. Mauduit Tractatu de Religione contra Atheos.*

Iniquum eſt non credere niſi ea quæ concipi poſſunt.

Velle omnia rationi tribuere cum de Religione ſermo eſt, iniquiſſimum eſt; Deus enim, atque myſteria, quæ divinitatem reſpiciunt, cum per ſe ſint infinita, omnes humanæ rationis conatus excedunt, quæ licet multo polleat acumine, ſemper tamen arctis, exiguiſque finibus coarctatur. De Deo, diviniſque Myſteriis id tantum credere, quod mente concipi poteſt, atque comprehendi, graviſſima inſania eſt; etenim incomprehenſibilitas non minus eſſentialis eſt vero Deo, quam bonitas, ſapientia, atque potentia; nam ſi unus eſt Deus, hic eſſentialiter infinitus eſt, atque finitis, terminatiſque mentibus, quales noſtræ ſunt, nequit comprehendi. Hinc autem Propheta inquit Deum in conſiliis ſuis magnum eſſe, atque humanis mentibus incomprehenſibilem: *Deus magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu.* *Jerem. 2.* *Breteville in Eloquentia Eccleſiaſtica.*

Per fidem indoctiores docti fiunt.

Quis non admirabitur, quod per fidem rudes mulieres, puerique, qui per ætatem humanis ſcientiis ediſcendis pares non ſunt, perſpicaciſſimi ſint in divinorum myſteriorum cognitione, & graviſſimas poſſideant veritates, quas Philoſophi ignorarunt, cognoſcant unum tantummodo eſſe Deum, ſe immortalem habere animam, peccatum fontem eſſe malorum omnium in mundo, Dei Miſericordiam illius eſſe remedium, Deum a nobis legum ſuarum obſervantiam depoſcere, ipſum actionibus noſtris invigilare, & noſtrum ſingulis vel pœnas præparare vel præmia? O quam amabilis eſt veritas! Quam ſpecioſa lumina illius, quam felix noſtra ſub fidei lege conditio! Mundi ſapientes, qui illius jugum detrectarunt, vitam ſuam in errore, & tumultu tranſegerunt, erraverunt in cogitationibus ſuis, ſecundum ea, quæ dixit Sanctus Paulus, & poſt tot ſpeculationes, in quibus dies ſuos traduxerunt, invenimus omnem eorum doctrinam meram eſſe ignorantiam, ſi cum craſſioribus omnium Fidelium luminibus comparetur. *Ex quodam tractatu de Fide.*

Fides omnino eſt neceſſaria ad cognoſcenda, quæ Dei ſunt.

Hominem ſumo in naturæ ſuæ puritate, atque in omnibus creationis ſuæ privilegiis. Eſto, habeat ille hoc in ſtatu tantum luminis, quantum ſatis eſſe poſſit ad cognoſcendam elementorum qualitatem, metallorum varietatem, plantarum, animaliumque proprietatem, cœlorum motus, & ſyderum influxus; & poſt hæc ſeipſum quoque cognoſcat. Omnes hæ cognitiones eidem congruæ ſunt, cumque in his nihil adſit ſupernaturale, eſto, in ipſo ſint naturæ dona, eorumque capax ſit ejus mens, quin illa altius emendicemus. Sed cum ad Dei cognitionem deveniendum eſt, qui infinite ſuper hominem eſt; illuc ejus intellectus ſine ſupernaturali auxilio pervenire non poteſt; hoc autem auxilium fides eſt. Verum eſt creaturas omnes Creatorem ſuum celebrare, & Vetus quidam jure dixit eos, qui vivunt in Dei ſui ignorantia, nullam habere ſuæ cæcitatis excuſationem, ille enim ſatis ſe prodit in operibus ſuis; ſed illum bene cognoſcere ſine fide non poſſumus. Hæc mentem noſtram attollit ad ordinem ſupernaturalem, qui ad Cœli beatitudinem nos diſponit, efficitque ut Deum cognoſcamus in terra, eumque ſummis honoribus proſequamur. *Ibidem.*

Præſtantia cognitionum, quas per fidem habemus.

Quod de Deo, deque adorabili Trinitate per fidem ſcio, quod de Incarnatione, de juſtorum gloria ſcio, &c. idem eſt, quod ipſe Deus ſcit. Quamobrem merito Sanctus Paulus, fidem *Dei Sapientiam* appellat; ideoque judicium, quod facit Deus de honoris vanitate, de divitiarum periculo, de delitiarum hujus vitæ veneno, & pretium, in quo habet contemptus, labores, & charitatem; qui fidem habet, idem facit judicium, hoc excepto, quod in Deo fides eſſe non poteſt, quia in divino hoc intellectu obſcuritas eſſe non poteſt. Sed inter certitudinem, quam Deus, & quam homo habet, nullum diſcrimen eſt; utraque enim Deo ipſi innititur, atque ita iiſdem oculis, quibus Deus videt omnia, quoad certitudinem, eodem judicio, quo judicat illa, eadem ſtatera, qua illa appendit, fidei veritas illa judicat, ponderat, & cognoſcit. Hinc fit, ut hoc fidei lumen attollat hominem ſuper ſe, eumque in aliam quodammodo regionem transferat, docens illum agere, & cognoſcere alia ratione ab ea, qua lumen naturale docet; jam poſſidet aliquid humano majus, atque in eam plagam ingredi incipit, quæ ab hac inferiori longe diverſa eſt. *Liber cui titulus, Vita Juſti per fidem.*

Sæpe major habetur fides profanis hiſtoricis, quam Doctoribus ſanctis probata referentibus miracula.

Videtur hodie non aliud aſſumi fidei fundamentum, quam humana ratio, errori atque illuſioni obnoxia; & mirum eſt, mundi ſapientes, inter quos nonnumquam viri boni inveniuntur, ſæpe adeo craſſo errori fidem adhibere. Namque dubitari incipit, ubi aliquid rationi duriuſculum, neque ita facile credendum occurrit: revelationes pro ineptiis, miracula pro fabulis, infernæ flammæ dæmoneſque pro poeticis inventis habentur. Sine ullo diſcrimine in dubium revocantur omnes Sanctorum Vitæ,

quia

quia ibi inſueta, & naturæ vires ſuperantia, atque ut ipſi dictitant, recto ſenſui oppoſita, leguntur; cumque chimericis fides adhibeatur, commentis, quæ a profanis auctoribus referuntur, fides negatur Sanctis, Sapientibuſque Doctoribus, qui id narrant, quod viderunt, vel quod ex viris fide digniſſimis acceperunt, neque alia negandi affertur cauſa, niſi quod in hæc rectum ſenſum offendunt. *Pater Craſſet. Libro de fide victrici.*

Vitæ ratio juxta fidei præcepta inſtituenda eſt.

Judicia, ac voluntates Evangelicis regulis ſunt conformanda, neque agendum eſt niſi ſecundum fidei principia. Hoc primi faciebant Chriſtiani, qui gaudio exultabant, cum ad ſupplicia reperentur, ac inaudita in ſe crudelitas exerceretur. Diſputare neſciebant, at ſciebant mori. Mors eorum Religionis noſtræ veritates efficacius perſuadebat, quam diſertiſſimorum Oratorum eloquentia, acutiſſimorumque Philoſophorum argumentationes. Sciebant mori; hoc ſatis erat; nihilque ulterius requirebatur, ut Religioni, quam tuebantur, fides adjiceretur. Sed proh ſæculi noſtri infidelitatem! noſtram impugnare fidem ſcimus, propugnare neſcimus. *Idem.*

Aliis indigemus luminibus, quam rationis, ut æternas veritates comprehendamus.

Nemo dubitare poteſt, quominus Deo ſit infinita poteſtas, ideoque ea poſſit efficere, quæ infinite mentis noſtræ captum excedunt; eo magis quod quidquid videmus in natura, quæ, ut ita dicam, intra rationis noſtræ fines poſita eſt, omnibus luminibus noſtris invium eſt, atque mentibus noſtris incomprehenſibile: quod oſtendit, nos ſuperiori, quam naturæ, lumine indigere, ut æternas veritates, poſtremum finem noſtrum, ac vias, quæ ad illum adducunt, cognoſcere valeamus; & rationis impotem eſſe, qui nihil credere vult, quod rationem noſtram excedat. Senſus, qui nos erudiunt, falſa vulgo referunt; imbecillia ſunt noſtra lumina, affectus violenti, judicia opinione, ac depravatis præventionibus corrupta. Quamobrem Philoſophus inquit, errorem, citius ſeſe menti noſtræ offerre, quam veritatem, atque omnium hominum ſtudioſiſſimum potiori vitę ſuæ parte rudem eſſe, quam doctum. At cum omnes homines nihil vehementius concupiſcant, quam felicitatem, omneſque cordis, mentiſque eorum motus ad hunc finem intenti ſint, ſi non aliud nobis eſſet lumen, quam rationis, omnes non indocti ſolum, verum etiam docti metuerent, ne fallerentur. *Idem.*

Fides eſt omnium virtutum principium.

Sine fide nulla virtus eſt, ſed cum fide virtutes omnes. Hæc earum principium eſt, & fundamentum, nec non ad eas acquirendas inſtrumentum univerſale: naſcuntur, & occidunt, creſcunt, atque decreſcunt cum illa. Fides nos in humilitate continet docens, quid Deus ſit, & quid nos ſimus: magnitudine æternorum bonorum, quæ pollicetur, ſpem noſtram excitat; ciet charitatem noſtram ob oculos nobis ſtatuens perfectiones Dei, ejus beneficia, & maxima in nos merita; fervorem noſtrum inflammat præſentia Domini, cui famulamur, ac certitudine mercedis eximiæ, quam nobis promittit: patientiam fovet, affirmans breve levis tribulationis momentum nobis beatitudinem æternam promeriturum; denique ſummam nobis inſpirat reverentiam, ac inquietam in precibus noſtris devotionem, ſublimem nobis adſtruens ideam magnitudinis, & majeſtatis illius, coram quo loquimur. Eheu Domine, auge fidem meam, ut augeantur virtutes meæ. *P. Nepveu. Tomo 3. Chriſtianarum Conſiderationum.*

Mirum eſt, ea credi, quæ ſunt credenda, & ea non fieri, quæ facienda ſunt.

Fruſtra fateris, te Chriſtianum eſſe, ac habere fidem, ſi cor non conſentit cum lingua, ſi quod voce profiteris, non confirmas operibus. Ad quid hæc divina fax, quæ nos illuminat, prodeſt, niſi eam ingrediaris viam, quam tibi ſternit, atque monſtrat? Cum fideli rubore injicere vis propter improbe factum, nonne quæris ex eo; habeſne fidem? Videlicet; fierine poteſt, ut fides te non deterreat, ne ea peccata committas, quæ ab illa damnantur? Chriſtianus eſſene poteſt Ethnico ſimilis? Adeo mirum eſt, ut qui credit, quæ credenda ſunt, non faciat, quæ ſunt facienda. Hæc eſt S. Bernardi ſententia: *Nihil valet fides cordis, ſine fide oris; nec fides oris, ſine fide cordis. P. la Peſſe. De neceſſitate agendi ſecundum fidei lumina.*

Serm. 3. de S. Andrea.

Fides in omni ſtatu, omnibuſque vitæ circumſtantiis nos illuminat.

In qualibet circumſtantia, in quavis fortuna, in adytis penetralibus, in negotiorum impedimentis, in ipſo mundi tumultu, ubique fides noſtra affectuum noſtrorum torrenti adverſantur. Rerum affluentia, proſperoque fortunæ curſu lætaris? hæc te ſuo lumine illuſtrat, ut hujus terræ bona contempleris modo veluti munera, modo tamquam cœli ſupplicia, modo veluti laqueos virtuti tuæ poſitos, modo tamquam terribilem materiam rationis ſerius, ocyus Judici reddendos, qui majora ab iis, quibus plura contulit, exiget. Num adverſa fortuna jactaris? hæc docet, te a Deo percuti, ut oculos aperias, tuamque inertiam, languorem, ac nequitiam conſideres, illud tibi longe aliam præparare mercedem ab ea, quam hoc in mundo ab illius largitate potes expetere. Si te colunt homines, vel contemnunt, nonne fides te cogit animum advertere ad injuſtitiam, inconſtantiam, ac iniquitatem judiciorum eorum, & ad ſapientiam, & æquitatem judiciorum Dei, coram quo uno id appares, qualis es? In iis obeundis officiis, quæ plurimum temporis, atque attentionis depoſcunt, illane te ſinit ambigere, utrum ſalus tua potiſſimum eſſe debeat ſtudium tuum, & utrum illuc motus omnes tui contendere debeant? In ſolitudine tibi guſtandam præbet illius hominis felicitatem, qui mundi hujus erroribus detectis, vanitatibuſque contemptis, uni Deo poteſt vacare. In mundo inter ſuaviſſimum ſpectaculorum cœtuumque clamorem nonne teipſum revocat, ut te colligas, ſecretis mœroribus, amara pœnitentia, ſpe decepta, & inquieta anxietate? Si in habituali peccato verſaris, illa contra te excitat conſcientiam tuam clamantem, proximæ mortis incertitudinem, inevitabilis exitus terrores, graviſſima dilatæ pœnitentiæ pericula. *Idem.*

Fidei lumina arcemus, quia noſtra turbant ſolatia.

Eheu! Auditores, pretioſa hæc fides, qua divinæ placuit miſericordiæ nos illuminare, ad id unum proderit, ut nos nocentiores efficiat? Potiuſquam eam ingrediamur viam, quam nobis oſtendit, claudemus oculos, ne certiſſimum ducem ſequamur? Davide Abſalonem filium ſuum fugiente, Sadoc ſummus Sacerdos, ac Levitæ attulerunt arcam, ut illum dolore confectum conſolarentur. Merito crediderunt futurum ut tutiſſimum hoc divinæ protectionis erga populum ſuum pignus ex Regis animo triſtitiam, metumque omnem expelleret. At David, eruditus, quidam Scriptor ait, arcæ adſpectum pati non potuit, præcepitque ut Jeroſolymam reveheretur. Quare? ne e contra illa mœrorem augeret criminum illius memoriam inſtaurans. Nonne ſimilis quædam ratio, Auditores lectiſſimi, vos jubet fidei lumina avertere? Hæc fides acriter vobis exprobrat ea flagitia, quæ afflictim amatis, & in quibus perſeverare decreviſtis. Quid enim proficeret, vobis oſtendens, hæc ſcelera, quæ mundus probare vellet, ſimul eſſe non poſſe cum Chriſtiana Religione, quam profitemini? Heus, clamatis, auferte ab oculis meis hanc arcam: quomodo liberi eſſe poſſumus triſtitia hæc intuentes objecta, quæ nobis exhibet fides? Sola æternitatis, atque ſalutis cogitatio nobis auferret quidquid in ſolatiis noſtris ſuaviſſimum eſt, atque jucundiſſimum. *Idem.*

SUPPLEMENTUM.

Fides ſine operibus inutilis.

Quędam provocationis, ſed urgentiſſimæ ſpecies erat ea, qua S. Jacobus Apoſtolus ignavum excitabat fidelem, cum quo ita loquebatur: Quid tibi proderit mi frater, aſſerere, te habere fidem, ſi tibi deſunt opera fidei? Numquid ſola fides tua ſalvare te poterit? Hanc tu jactas fidem, ego vero in humilis confidentiæ ſpiritu adhæreo operum praxi. Oſtende mihi aſſertam fidem tuam operibus carentem, ego vero operibus meis fidem meam probabo. *Oſtende mihi fidem tuam ſine operibus; & ego ex operibus oſtendam fidem meam.* Provocationi huic nihil opponi poterat, & ex eo uſque tempore, chimæricam, commentitiamque fidem refellebat; videlicet fidem ſine operibus juſtificantem, quam ſuperiori ſæculo hæreſis inſtaurare auſa eſt. Cum nihil ſit recto ſenſui, rationique magis conforme, quam mutuum celebrare conſenſum inter opera, & fidem, hic efficit, ut ſicuti eſſe nequeunt opera bona ſine fide, ita neque ſit fides, quæ ſatis eſſe poſſit ad ſalutem comparandam, imo neque par eidem nutriendæ ſaltem in ſua puritate, ac perfectione ſine bonis operibus. *P. Bourdalove in Dominicali.*

Jacob. 2.

Et fere mortua eſt.

Fides, S. Jacobus ait, eſſe debet in nobis aliquid vivens, & animatum; non eſt habitus mortuus, & id eſſe non poteſt, quominus ipſi rei ſimus, quod illam extinxerimus adimentes eidem vitam, quam a Deo receperat. At quanam in re hæc fidei vita conſiſtit? Quænam eſt anima, quæ regit, & facit, ut fidei corpus ſubſiſtat? Hæc bona opera ſunt. Per hæc viget fides; hæc illi motum tribuunt, atque immortalem efficerent, ſi ipſi in officiorum noſtrorum praxi conſtantes eſſemus. Sicuti ergo accidit, ut corpus, ex quo ceſſat vitæ munera obire, incipit diſſolvi, atque corrumpi; ita fides per bonorum operum intermiſſionem ſenſim infirmatur, langueſcit, & ſi his liceat vocibus uti, expirat tandem, & moritur; *Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita fides ſine operibus mortua eſt. Idem.*

Jacob. c. 2.

Per fidem honoramus Deum.

Divinæ bonitatis eſt velle meritis ſervorum ſuorum tribuere fidem, quam habent verbo illius; verum juſtitiæ quoque eſt præmiis afficere virtutem, quæ egregie divina colit attributa hominem humiliando. Neque miror, tantam eſſe fidei virtutem. Hæc perfectiſſimum eſt ſacrificium, quod supremę Dei dominationi facere, humillimum obſequium, quod Divinæ majeſtati præſtare, ſinceriſſimum teſtimonium, quod illi perhibere valeamus noſtræ in bonitate ipſius confidentiæ, ac minus æquivocum argumentum noſtræ præceptis illius obedientię. *Morales animadverſiones cum Notis in Epiſtolam S. Pauli ad Romanos.*

Opera noſtra raro fidei noſtræ reſpondent.

Profitemur nos eſſe Chriſtianos; videlicet credere omnes Chriſtianas veritates, donec vitam ducimus prorſus oppoſitam veritatibus, quas credimus; quæ magis impia ſtultitia? Credimus, tandem enim fatendum eſt, inter Chriſtianos pauci infideles inveniuntur; credimus. Cordis corruptio non adeo facile mentem depravat. Credimus eſſe Deum, tandem enim pauci ſunt athei. Credimus eſſe infernum; videlicet infinitam congeriem, inſcrutabilem complicationem malorum, quæ omnibus ſimul, & in æternum torquentur reprobi, quin ſperent futurum ut hęc ſupplicia ullum inveniant finem, vel decrementum. Credimus, unum ſatis eſſe mortale crimen, ut quis in omnem damnetur æternitatem. Credimus ſalutem unicum eſſe negotium noſtrum, & hoc credunt mortales quidam, qui in mollitie, & peccato vitam ducunt tranquillam; hoc credit mundana mulier illa, cujus conſcientia chaos eſt, & cui Mundus idolum eſt: hoc credunt procaces homines, quorum vita æquo licentior, eſt peccatorum catena. Hoc credunt mortales voluptatibus dediti, qui dies ſuos tranſigunt in otio molli, & Dei oblivione: mundani homines iſti, qui animam ſuam turpi lucro ſacrificant; negotioſi iſti viri, qui vivunt, & moriuntur, quin ne una quidem die ſerio de æternitate cogitaverint. Omnes iſti credunt pœnarum infinitatem, atque æternitatem. Nimis ſe ipſos amant, nec ſe damnari volunt; ac ſatiſne chriſtiane vivunt ne damnentur? Qui autem videt quod creditur, & quomodo vivitur, poteſtne ſperare eos qui talia credunt, ac taliter vivunt ſalvos factum iri? Conciliate fidem cum moribus; Religionis veritates cum vitæ ratione comparate, ac intelligite, ſi fieri poteſt, hoc iniquitatis myſterium. *P. Croiſet.*

Cum Dei gratia pendet a nobis credere.

Non pendet a me credere, vel non credere, inquiunt animę mundanę, & infideles: non pendet a vobis, Chriſtiani? Cur ergo mundi Salvator exprobraſſet diſcipulis ſuis, quad corda eorum lenta eſſent, ac tarda ad credendum? Cur queſtus fuiſſet de illorum incredulitate, cum non ſine indignatione dicebat illis: uſquequo vos patiar? Cur Petrum modicæ fidei nomine corripuiſſet? Si enim hæc fides in noſtra poteſtate non eſt; omnes illæ Jeſu Chriſti propoſitiones fundamento carebant: ſuſtinere debebat Apoſtolos ſuos licet incredulos; non debebat illos redarguere, quia fides eorum erat imperfecta; mederi debebat impotentiæ eorum, qua verbo illius fidem habere non poterant, non autem illos ideo exprobrare. Sed aſſerere, Jeſum Chriſtum temere, & ſine cauſa hæc exprobraſſe, non audemus; omnino ergo pendet a vobis habere fidem, & in fide perſeverare. Non aſſerimus, vos ex vobiſmetipſis hanc habere poſſe, & ſine ope gratiæ, Fatemur gratiam nobis eſſe neceſſariam ad ſubjiciendam rationem noſtram in obſequium fidei; ſed gratiam hanc, quam nobis Deus pollicetur, & quam vos certiſſime vobiſmetipſis polliceri poteſtis, quia Dei verbum numquam deficere poteſt, poſitam, dicimus in veſtra poteſtate eſſe, obſequium hoc pręſtare, vobiſmet illius jugum imponere, illud conſtanter. & ultro ferre; verbo credere, & eſſe fideles. *P. Bourdalove in Dominicali.*

Quid ſignificent hæc Apoſtoli verba, *Ad Rom.* 10.

Corde creditur ad juſtitiam; ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Credere corde, eſt ſeſe per humilem fidem ſubjicere omnibus veritatibus, quas Dei Filius nos docuit; eſt illas amare, & ex illis vitę noſtrę regulam facere. Credere corde, eſt vitam componere juxta veritates, diſciplinam, & Evangelium, quod creditur. Non niſi per practicam fidem hanc, fidem animatam, operibuſque ſuffultam, probatamque homo juſtus efficitur. Abraham credidit; ſed numquam melius ejus fides enituit, quam cum opus aggreſſus eſt filium ſuum propriis manibus ſacrificandi. Juſtus ex fide vivit; ſed fides ſine operibus mortua eſt; igitur hæc illa fides non eſt, ex qua vivit juſtus. Quæ cum ita ſunt; multine veri fideles exiſtunt? Ore confiteri; hoc eſt palam ſe Jeſu Chriſti diſcipulum profiteri, & per opera oſtendere, verba noſtra ſincera eſſe. Quinam iræ theſaurus conflatur in concionatorem, cujus vita doctrinam ejuſdem mentitur? In Patrem, matremque familias, in ſuperiorem, ac magiſtrum, cujus vitæ ratio præceptis, quæ tradit, pœnis quas annuntiat, & monitis, quæ ſuggerit, adverſatur! Da mihi fortitudinem, Domine te audacter coram hominibus confitendi; ut te non pudeat mei coram Patre tuo. Si error præponderaret, tunc potiſſimum tenerentur fideles publice fidem ſuam profiteri ut torrenti ſeductionis obſiſterent. Similibus in occaſionibus viſi ſunt olim eremitæ deſerere antra, & ſpecus, ut ſe conferrent in urbes, & oppida ad fidem ſuam profitendam, & fideles exemplo inſignis ſanctitatis ſuæ confirmandos. *P. Croiſet, in Aſceticis Exercitationibus.*

Sine fide nulla ſalus; opera ſine fide inutilia;

Fides ad ſalutem eſt omnino neceſſaria: Hæc eſt tamquam anima juſti; quandoquidem juſtus ex fide vivit. Abraham non ex operibus, ſed ex fide juſtificatur. Fruſtra quis miracula patraret; fruſtra carnem ſuam jejuniis, graviſſimiſque auſteritatibus maceraret; fruſtra pauperibus bona ſua diſtribueret: omnia fructu carent; omnia meritis vacua ſunt, ideoque etiam remuneratione, ſi deſit fides. Pauci ſunt hæretici, qui exteriori pietatis habitu non fefellerint. Reformationis prætextus, pœnitentiæ oſtentatio, larva modeſtiæ, hæc omnia pietatis inſignia in ſectis omnibus reperiuntur: ſed væ illis, qui ſibi fucum fieri ſinunt. Hęc ſpecies pulchra eſt, & laude digna; quoniam exhibet virtutem ubique verendam. Sed ſi externa hęc virtutis ſpecies fide caret, ſi perſona hæc, cujus ſermones ſunt adeo ædificantes, cujus externus habitus eſt adeo religioſus, cujus vita frugi adeo, & ſancta videtur, fidem habet nutantem, ſi non audit Eccleſiam, ac proprium dumtaxat ſpiritum ſequitur; hoc ad ſummum eſt phantaſma Chriſtiani; pulchrum eſt corpus ſine anima. Juſtus ex fide vivit. Oraculum hoc bene intelligamus. Si deſit fides, actiones ſanctiſſimę non aliud ſunt quam larvę ſuperficiales, quę ſerius, ocyus dilabuntur. Fides viva eſt bonorum operum, meritorum, virtutumque menſura. Sine illa, nihil eſt niſi hypocriſis, ſimulatio, & mimeſis quędam pietatis, atque Religionis. Nihil pro ſalute magis metuendum eſt, quam fides mere theoretica; hæc fides eſt damnatorum. Donec vivimus in maximis fidei veritatibus obſtupeſcimus; dum morimur, fides omnes vire reſumit: ſed quam triſte, funeſtumque eſt in ipſa tandem mortis hora, nos deerraſſe cognoſcere? *Idem ibidem.*

Fides eſt Religionis fundamentum.

Vera Religio, divina Religio non niſi fidei poteſt inniti. Spiritus hominis nimis anguſtus eſt, ut divina capiat myſteria. Principia, & veræ Religionis eſſentia humana ſuperant lumina. Spiritus hic arctis adeo cancellis comprehenſus, qui non ſolum comprehendere poteſt ea, quæ naturalia ſunt, ſed qui neque ſe ipſum comprehendere poteſt, quomodo nam poſſet ens æternum, ſupremumque comprehendere; & ſi illud comprehenderet, numquid Dei perfectam cognitionem haberet? & quod ille poſſet comprehendere eſſetne Deus? Palam conſtat, Deum, ens hoc infinitum, neceſſario alteri cuipiam incomprehenſibile, cum hominibus cognoſcendum ſe tradere vellet, cultum eorum per Religionem moderari, ac in mundo inſtituere Religionem prorſus divinam in fine ſuo, in diſciplina atque dogmatibus, hunc inquam Deum id per fidem facere debuiſſe. Hinc videmus ab ipſius uſque mundi primordiis, fidem conſtituiſſe meritum electorum. Attentius inſpiciamus, quæ ſit fides noſtra: numquid illa noſter caracter eſt? Habemuſne fidem humilem, fidem vivam, fidem conſtantem, atque generoſam? Parumper mores noſtros vitamque conſideremus. Numquid nobis perſuaſum eſt de veritatibus, quas credere profitemur? & vitę noſtræ ratio palam eas a nobis credi demonſtrat? Errorem abjiciamus. Arctus eſſe debet nexus inter fidem noſtram, & mores: actiones noſtræ fateri debent, quam Religionem ſequamur. Vocis Jacob non magna habetur ratio; manus tan-

BIBLIOTECA CENTRAL

tantum gratias, & benedictiones merentur. Fides ergo omnino ad ſalutem eſt neceſſaria; externa ſpecies non aliud eſt quam hiſtrionum ſtatus, & perſona. Per fidem Apoſtolus, antea infidelis a Salvatore beatus æſtimatus eſt. *P. Croiſet ibidem*.

Religionis veritates cum fide perfecta integraque ſubmiſſione credendæ ſunt.

Superbia noſtra cauſa eſt modicæ fidei noſtræ; mens noſtra ægre ſeſe ſubjicere poteſt, propriis perſtricta luminibus nihil ultra videre poteſt. Ex venenato hoc fonte oriuntur hæ dubitationes, hæc criteria adeo perniciosa ſimplicitati fidei. Per hęc pręſertim, hodierna die religioſiſſimæ traditiones antiquiſſimæ veritates, venerabiles auctoritates omne pretium ſuum amiſerunt. Omnia facta ſunt opinio; & hac arte ſpiritus particularis ſeſe erigit in judicem, & omnes hæreticorum ſectæ exiſtimationem nactæ ſunt. Ipſi toto vitæ noſtræ ſpatio perhorreſcere debemus, ſuperbos hoſce viros doctos, & criticos audaces, qui ſub colore veritatis inquirendæ, non aliud conantur, quam extinguere fidem, & infirmare Religionem, qua in re complures voti compotes facti ſunt. Fides eſſe debet perfecta, & vivens. Omnes Religionis veritates perfecta cum ſubmiſſione nobis quærendæ ſunt. Damnemus omnes haſce ſubtilitates, omnia hæc mentis acumina, quæ ſin minus fidem prorſus evertunt, mirum tamen in modum nocent ſimplicitati. Ne patiamur umquam nobis audientibus verba fieri de criticis hiſce argumentis. Nobiſmetipſis interdictam velimus librorum, de iiſdem agentium lecturam. Nihil fidei magis oppoſitum eſt, quam omnia ad opinionem redigere. *P. Croiſet ibidem*.

Quomodo fides in nobis infirmatur, & extinguitur.

Fateor equidem fidem, quæ virtus eſt ſupernaturalis, in nobis non deſtrui ſicut morales virtutes, videlicet per ſimplicem actuum eidem propriorum omiſſionem. Fateor etiam, licet ſupernaturalis illa ſit, ſubſiſtere poſſe cum peccato, & cum peccato mortali, cujuſcumque naturæ, & gravitatis eſſe poſſit, unica tantum excepta infidelitate; quoniam ſecundum Tridentinam Synodum, unicum infidelitatis peccatum efficere poteſt, ut directe habitum fidei amittamus: ſed aſſero ubi quis a bonis operibus præſtandis ceſſet, ſenſim, ac ſine ſenſu gradum fieri non quidem ad apertam infidelitatem, quam neque ipſa morum elegantia pateretur, ſed ad infidelitatem ſecretam, quæ hodierna die eſt peccatorum omnium maximum. Quomodo iſtud? Attendite. Ubi de infidelitate agitur, nequaquam repente, unoque ictu pervertimur; ſunt gradus quidam, per quos dæmon nos adducit, & qui nos ad miſerum hunc finem deducunt. Clarius loquar: non ita ſtatim fidei virtutem amittimus; caracter, quem gerimus altius illam impreſſit in nobis, ita ut tam brevi illam delere non valeamus: ſed illius primum uſum, & exercitationem amittimus negligentes officia Religionis, quæ a nobis hæc fides exquirit; amiſſaque exercitatione paulatim eorum affectum, & guſtum amittimus. Difficile quippe eſt, S. Bernardus ait, quod noſmet ſincere, perfecteque ſubjiciamus iis, quæ non ſunt ſecundum cor noſtrum & ne oblectemur obſiſtentes iis, quæ nos offendunt, nobiſque diſplicent. Amiſſa hac fidei ſubmiſſione, certiſſimum eſt fidei noſtræ ſubſtantiam corrumpi; quia ſubmiſſio mentis æque eſt neceſſaria fidei, ac fides ſibimetipſi. Corrupta fidei ſubſtantia, nihil reliquum eſt niſi phantaſma virtutis hujus coram Deo pejus Ethnica infidelitate; quia hæc infidelitas eſt ſupra fidei ruinas ædificata. *P. Bourdalove in Dominicali*.

Ubi Deus locutus eſt ſileat humana ratio.

Ubi Dominus locutus eſt, taceat ratio, ac revereatur obſcurum velum, quod illi adorabilia abſcondit myſteria. Conatus, quos exercet ad illud auferendum, oſtenderent ſolum ſuperbiam, atque imbecillitatem illius. In hoc humiliatæ, & quodammodo exinanitæ rationis ſacrificio eſſentia, meritumque fidei conſiſtit. Si hoc ſacrificium difficile nobis videtur, cogitemus, ſi deſit fides, rationem nullum amplius habere ducem tutum, neque affectus validius habere frœnum quo coerceantur. Difficile eſſe deberet Abrahæ credere, ſe in ſenectute ſua ex ſterili uxore æque numeroſam, ac ſtellas cœli habiturum eſſe progeniem; ſed adſpectus pulcherrimi hujus operis manuum Creatoris revocat in mentem Abrahæ omnipotentiam illius, qui hoc illi pollicebatur, & clauſit aditum dubitationibus in corde illius. *Animadverſiones morales cum Notis in Epiſtolam S. Pauli ad Romanos*.

Uſus fidei in variis vitæ caſibus.

Cum fides in ſubſidium arceſſitur, omnia vitæ hujus mala evaneſcere videntur. Quin conquerendum ſit, immo e contra benedicenda eſt cum David manus percutiens, humiliatio tamquam bonum reſpicitur, & inde lætandum eſt? *Bonum mihi, quia humiliaſti me*. Excitamur intuiti promiſſiones illis factas, qui in gemitibus vitam vivunt: *Beati, qui lugent*, Inflammantur exemplo Jeſu Chriſti, qui e paſſione immunis non fuit, & qui ipſe ſibi quamdam patiendi neceſſitatem inflixit: *Oportuit Chriſtum pati*. Fulcimur ducti ſpe, fore ut aliquando participes ſimus & gloriæ quemadmodum fuimus paſſionum: *Si compatimur, ut & conglorificemur*. Fides efficit, ut patienter morbos ſuſtineamus, quia illorum nobis aperit & principium, & finem; in ærumnis, quæ repente accidunt ſolatio nobis eſt: quia perſuadet nobis nihil accidere ſine peculiari providentia Dei, quæ omnia in noſtram utilitatem convertit; aufert cordi noſtro pœnas, & mortificationes, docet enim illud moderari exceſſum motuum ſuorum, nos confirmat contra timores mortis, quippe efficit, ut illam intueamur tamquam tranſitum ad vitam meliorem; ſedat tumultus conſcientiæ, namque injicit illi ſpem veniæ; denique quocumque tempore, & in quemcumque locum nos comitatur; potiſſimum vero ad lectulum mortis, ubi incipit apud nos rerum omnium locum tenere. Hinc S. Paulus jugiter hortabatur fideles, ut ſuum quærerent ſolatium in meditatione veritatum, quas illos docuerat: *Conſolamini invicem in verbis iſtis*. *Sermo Manuſcriptus*. *1. Theſſ. cap. 2.*

Actiones noſtræ probare debent fidem noſtram.

Credere nolle quod nobis credendum proponit Eccleſia, inſignis dementia eſt; ſed minorne eſt non vivere ſecundum legem, quæ creditur? In religione noſtra non minus morum diſciplina, quam dogma eſt objectum fidei noſtræ. Facile crederemus ea omnia, quę juberemur, dummodo liceret nobis vivere, quemadmodum vellemus. In Religione noſtra credendum eſt, ſed juxta ea, quæ creduntur vivendum eſt, Fratres mei, S. Jacobus Apoſtolus inquit, ſi quis dixerit ſe fidem habere, opera vero non habuerit, quid prodeſt? Numquid fides illum ſalvare poterit? Ita vobis ſentiendum eſt. Ad examen hodierna die revocate utrum opera veſtra, utrum mores, utrum tota vitæ ratio dicant, vobis eſſe fidem. Ne obſtupeatis in re tanti momenti; ne erretis. Hoc eſſe debet argumentum meditationis veſtræ, & communium veſtrarum cogitationum; ſæpe a vobiſmetipſis ſciſcitamini, utrum actiones veſtræ probent vobis eſſe fidem, utrum quæ facitis conformia ſint illis, quæ creditis. *P. Croiſet in Aſceticis Exercitationibus*.

Parum nobis rationis ineſt, ſi fides deeſt.

Mente aſſequi non valetis, Deum potuiſſe propter ſalutem hominum, qui adeo ingrati erga Deum ipſum erant futuri, ita ſeſe demittere, ut humanam carnem indueret. At ſi id aſſequeremini, eſſetne miraculum tanta dignum admiratione? Si Deus id tantum facere poſſet, quod ipſi poſſumus intelligere, eſſetne Deus? Si proprius modus, quo Deus eſt, exiguum mentis humanæ captum non excederet, eſſetne ille ens perfectum, atque infinitum? Volens Deus ſemet cognoſcendum hominibus tradere debuit ſeſe illis communicare per oculos fidei: non alia eſt ad ſalutem via, non aliud iter ad gloriam æternam. Et inveniuntur difficultates in iis credendis, quæ Deus revelavit? Et aliqua inveniri difficultas poteſt, ut noſmet ſubjiciamus, & mentem noſtram in obſequium Jeſu Chriſti captivemus! Proh Deus; quam parum rationis eſt, ubi fides non eſt! *Idem*.

Fidei noſtræ compendium.

Amor Dei infinitus, impenſiſſimus, præveniens, beneficus, incomprehenſibilis, immodicus. Verbi incarnatio, Myſterium, in quo ſpiritus omnis deficit. Vita hominis Dei pauperis; paſſiones graviſſimæ, mors ſæviſſima æque ac turpiſſima Jeſu Chriſti. Superabundans omnium hominum redemptio, quin vel unus fuerit exceptus, æternitas beata, patria cœleſtis, centrum bonorum omnium, unica hæreditas noſtra. Juge miraculum ſummi amoris, & realis præſentiæ Jeſu Chriſti in Euchariſtia, ſuavis conſolatio noſtra, inexhauſtus fons confidentiæ. Judicium terribile de vitæ noſtrę conformitate cum ſuprema regula morum; immutabilis Evangelii veritas. Multiplices difficultates in negotio unico ſalutis noſtræ; mundi placita ſpiritui Jeſu Chriſti contraria: vita mortificata, pura, innocens, pœnitens, ut ſit vita Chriſtiana: hoc eſt fidei noſtræ compendium. *Idem*.

Quid ſit credere in Jeſum Chriſtum.

Credere in Jeſum Chriſtum quemadmodum Chriſtianis faciendum eſt, hoc eſt non ſolum ſibi perſuaſum eſſe de veritate doctrinæ, miraculis, paſſione, morte, & reſurrectione illius. Dęmones quoque hoc credunt, & contremiſcunt, S. Auguſtinus ait. Avertat Deus nobis dæmonum dumtaxat fidem ineſſe. Ut credamus in Jeſum Chriſtum uti veros decet Chriſtianos, ille nobis inſpiciendus eſt tamquam vitæ noſtræ exemplum; expectat a nobis opera ſancta, quæ ſint fructus fidei noſtræ. Amor ſuus illum propter ſalutem noſtram crucifixit; opus eſt ut noſter erga illum amor efficiat, ut propriam voluntatem noſtram crucifigamus, atque omnibus ſenſuum voluptatibus moriamur. Hoc vocandum eſt credere in Jeſum Chriſtum. Fallitur mundus aliter ſentiens, & fallit vos, ſi vos illi fidem habetis. *P. Segneri in Meditatione*.

Quouſque aberret humanus ſpiritus, cum ſequitur propria lumina.

Quo uſque erroris, ac inſaniæ humana mens evaſit in cognitione, & perquiſitione veri Dei, cum ſecuta eſt, veluti duces, curioſitatem, & ambitionem? Quam innumerabilem irridendarum ſuperſtitionum, inconſtantium numinum, inſipientium religionum multitudinem peperit hic Divinitatis radius, qui in nobis renidet, per naturæ noſtræ corruptionem vitiatus, atque obſcuratus! Quis non miratur videns antiquitatis ſapientes adeo in ſcriptis ſuis admirabiles, in Religione vero adeo cæcos, videns, idquam, exquiſitiſſima humanæ rationis opera ad præſtantiſſimum laudis apicem elaborata, inde vero humanæ mentis errores teterrimos in impio, ſacrilegoque cultu eorum! Numquid repetenda eſt horrens illa deſcriptio, quam S. Paulus Apoſtolus adornavit in Epiſtola ad Romanos; ubi nobis exhibet hæc ingenia licet divina, & alioquin in reprobum ſenſum tradita ſerpentibus, monſtriſque ſacrificantia, ac execrabilibus affectibus cordis ſui mancipata, ubi non minus natura, quam ipſe auctor naturæ fœdiſſime coinquinatur! At quænam extitit cæcitatis illorum cauſa in tanta cognitione, niſi ſpiritus ſuperbiæ? Hoc humanæ rationis lumen, quod illos adducere debebat ad Deum, verumque cultum illius, extitit tamquam lampas in manu furentis, quod cum ſuperbum hominem illuminare deberet, illum immo perdidit. Aſtrum hoc, quod de cœli vertice fulgebat adhuc in nocte humanæ ignorantiæ per ſuperbiam factum eſt una ex illis errantibus flammis, quæ ſequentes ſe adducunt in mortem. Dux, quem dederat hominibus Deus, ut cum ſequerentur in errorem, ac præceps perductum fuit, a quo illi erant avertendi. Hæc impreſſio exiſtentiæ entis ſupremi nobiſcum orta cauſa fuit plurimorum errorum, & chimærarum? Monſtroſa Theologia, radius aliquis veritatis ſemiextinctus, involutus caligine fabularum, quæ populorum religionem effecerunt, fuerunt opus mentis, & ſuperbiæ, quarum altera fuit alteri viciſſim erroris cauſa: cum Deus nobis oſtendere voluerit, cum, a quo ipſe quæritur, niſi prorſus a divina ipſius pendeat voluntate, & niſi ſe humiliet ſub pondere majeſtatis ejus, ut opprimatur fulgore gloriæ ipſius, ab illo potius recedere; & ſub hac humilitate, quæ eſſe debet tamquam principium motus hominis, ut magis, magiſque ſe attollat; hunc non aſcendere, niſi ut de ſublimiori loco graviori lapſu ruat. *Abbas du Jarry*.

In Religionis materia duo ſcopuli vitandi ſunt.

Nobis evitandi ſunt duo ſcopuli æque metuendi; hoc eſt Religionem & nimis, & non ſatis examinare. Eſſe enim Chriſtianum, quia ex Chriſtianis parentibus ortus es, ſicuti eſſes Turca, ſi ex Turcis genitus eſſes, paratum eſſe ad mortem ſubeundam pro defenſione Religionis, ita enim affecti eſſe debemus, paratum, inquam, eſſe pro defenſione Religionis ea ſolum de cauſa, quia in ea alti, & educati fuimus: hęc potius craſſa ſtupiditas eſſet, quam ſubmiſſa fides: quemadmodum rationari, arguere, inceſſanter diſputare de articulis Religionis; hæc minus eſt illuminata fides quam periculoſa curioſitas, ne dicam, ſecreta infidelitas. Ratiocinandum eſt igitur, atque ratione utendum, ut ſciamus utrum ſit a Deo religio noſtra, cumque ſemel hac in re illuminati fuerimus, rationi abrenuntiandum eſt, ut cætera credamus. Si Religionem amplecteris, neſciens unde ſit, inſanus es: ſi de hac Religione dubitas, poſtquam cognoviſti Deum illius eſſe auctorem, es infidelis. Hac de cauſa duo conſideranda ſunt in illo, qui credit, ratio propter quam amplectitur fidem, & ea propter quam elicit actus fidei. *Abbas du Jarry*.

Fides bonis operibus vacua, fides mortua eſt.

Fides Chriſtianorum eſt fides viva, & agens per charitatem. *Fides, quæ per charitatem operatur*. Sed charitas iſta, quæ ignis eſt, cujus vi nos ad agendum impellimur; ſimul eſt lumen quod nos illuſtrat, & quod tantum lucis addit fidei, quantum ab eadem recipit. Perſeverantia in bonis operibus ſenſim effundit in animas cœleſtium rerum evidentiam, propter quam fidenter in viis ſalutis incedimus. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos*. *Gal. 5.* *Pſalm. 18.* Deus ſervorum ſuorum fidelitatem remuneraturus, confirmat illos intrinſecis teſtimoniis apertiſque argumentis, quæ non ſinunt illos ambigere, utrum religio quam profitentur, divina ſit, & utrum poſt vitæ exitum regem gloriæ viſuri ſint. *Idem*.

Tribuit Deus certiſſima fidei argument. juxta varias ſpirituum affectiones.

Inviſibilis providentia, quæ regnat in ordine gratiæ, Chriſtianis fidelibus tribuit manifeſta fidei eorum argumenta, quæ illos perſuadent ſecundum varias ſpirituum diſpoſitiones. Illis quidem miraculoſa Religionis inſtitutio, aliis durationis ejus perennitas. His admirabilis conſenſio omnium ſimul partium ſuarum; aliis teſtimonium infinitus Martyrum numerus, qui pro illa tuenda mortem oppetiere. Deus, qui fidei noſtræ principium eſt, adnectit cuilibet rei interiorem hanc perſuaſionem, quæ ſpiritum trahit, & noſtrum eſt gratiæ illius eſſe fideles. Non opus eſt ultra miraculis inter nos, quippe ea quæ dicit, & fecit ſufficiunt, ut erudiamur. Lex, S. Paulus ait, fuit veluti pædagogus, quę nos ad Jeſu Chriſti fidem adduxit: ſed cum jam habeamus fidem iſtam, non egemus ultra præceptore, qui illam nobis oſtendat: *Ubi venit fides: Jam non ſumus ſub pædagogo*. *Idem*. *Ad Gal. 3.*

Heu! Numquamne Chriſtiana Religio ſatis ſolide conſtituta fuit, ut ſpiritui noſtro ſatis faceret? Cuinam cedet ratio noſtra, ſi fidei probationibus minime ceſſerit? Quid rationabilis homo petere poteſt a Deo, ut credere teneatur, quæ fecit Deus, ut homini perſuaderet? Profecto ſalvos nos facere voluit Deus per merita; & poſt ſexcentas fidei noſtræ probationes integrum nobis relinquere, ut vel reſiſteremus, vel ut cederemus: ſed incredulos damnare volens, teſtimonia ſua adeo certa reddidit, ut quicumque illis reſiſteret, omni prorſus excuſatione in die ſuorum judiciorum careret. Tunc decidet velum ab oculis impiorum, *& omnis iniquitas oppilabit os ſuum*. Tunc confundentur omnes iſti cæci corde, quorum licentiæ ſpiritus, inconditi affectus, deſiderium fruendi fallaci pace in ſceleribus, ſuperba indocilitas jugi impatiens effecerint nebulam incredulitatis, qua cooperiuntur. Tunc audientur voces illæ querulæ; *Nos inſenſati vitam eorum reputabamus inſaniam*. Heu nonne omni ſenſu deſtituti eramus non credentes verbo Dei, tot argumentis probato? Quid fides Dei hominis facti, qui de Dæmonibus, atque Tyrannis egit triumphum, ac mundum idolorum cultorem in Chriſtianum mundum convertit, non poterit agere triumphum de incredulo, non aliud quam ſuam nequitiam objicienti. Heu! Hieronymi, Ambroſii, Auguſtini, Chryſoſtomi, & Gregorii, nec non tot alii inſignes Doctores nonne pro nobis Religionem noſtram ſatis examinaverunt? Tuto ſub ducibus adeo tuis incedamus: pereamus ſapienter, ſi dicere fas eſt, cum tot, tamque præſtantibus fidei noſtræ fidejuſſoribus, quin tandiu ratiocinemur, ac diſputemus; nobiſque perſuaſum ſit, quo plus ſubmiſſionis nobis erit, eo plus fidei nos habituros, & fidem hanc eo diviniorem futuram, quo minus humanæ rationi inhærebit. *Idem*. *Pſal. 106.*

Fidei, & Religionis noſtræ effectus ſunt admirabiles.

Ecce, Fideles, admirabilem effectum fidei, ſtellæ hujus in humanæ ignorantiæ nocte fulgentis. Hoc lumen Jeſu Chriſti confuſum, & obſcurum, quod nobis oſtendit per umbras, ac nebulas magnum hoc Religionis objectum, adducit nos ad illum, & dignos nos efficit, qui illum facie ad faciem videamus: lucerna eſt lucens in caliginoſo loco. Attamen ſi fideliter ſecuti fuerimus lucidum hoc veſtigium, quod nobis Cœli regem oſtendit, numquam aberrabimus. Fidei hujus in veteri lege figura erat, columna ignis, quæ deducebat filios Iſrael per noctem, ut intelligeremus, vividiora fidei lumina ſemper eſſe cum quadam obſcuritate conjuncta; ſed denſiſſimas tenebras ſemper etiam eſſe cum aliqua divina claritate conjunctas, ut humana mens ſatis perſpicue videat in iis, quæ pertinent ad Deum, ne deerret, ſimulque non adeo manifeſte intueatur, ita ut minime ſe captivam præbeat verbo Dei. Ita fides ex terræ parte tenebricoſa eſt, ſed ex parte cœli undequaque fulgida. Ubi naturam, rationemque conſulis, cœcus es; ubi autem revelationem, jam perſpicax es, jam omnia fulgent. *Abbas du Jarry*.

Quid ſit hæc divina fides lucens in mentibus noſtris.

Quid eſt fides? tributum eſt, quod veritati verbi Dei exhibemus: eſt obſequium mentis noſtræ erga auctoritatem Eccleſiæ: jugum eſt, ſub quo humanus flectitur intellectus: *redigentes intellectum in obſequium fidei*. Hoc autem tributum, hæc obedientia, hoc obſequium præſtari nequeunt ſine mentis ſub-

BIBLIOTECA CENTRAL

ſubmiſſione oraculo, quod certiſſimum eſſe ſcimus; & non niſi per rationem intelligi poteſt certitudo oraculi, quod nobis Religionis myſteria revelavit. Itaque quæcumque mentis ſubmiſſio inveniatur in fide; numquam Deus illam exigeret, niſi eam ratio probaret. Hoc jugum eſt, quod rationem captivare debet; ſed hæc ratio antequam ſe ſubjiciat, ſcire vult, utrum qui loquitur, ſit Rex ſuus. Tunc haud ægre paret; quia nihil eſt adeo æquum, quam credere quod dicit Deus, quoniam ratio non niſi certiſſimum illum nobis poteſt exhibere. *Idem.*

Cum Deus ſit veritas per eſſentiam jure ſuo ſibi loquendi fides haberi vult.

Hoc poſito, quod credatis Deum locutum fuiſſe; ullane adeſt difficultas, obſcuritas, contradictio ulla licet apparens, quæ vos detinere debeat? Poteſtiſne citra inſignem ſuperbiam ſubjicere infirmis luminibus veſtris myſteria, quæ Deus revelavit? Illene fallitur? Ignoratne quid ſit, & illum creditis aptum, qui vos fallere velit, & veſtræ illudere credulitati? Deus locutus eſt, omnis ergo ſpiritus in Cœlis, in terris, & in inferis ſe humiliet; ſe ipſum excæcet, ſi opus eſt. Deus locutus eſt, ideoque quidquid divino illius opponitur verbo non aliud quam error eſt, & mendacium. Deus locutus eſt, & de ſe ipſo, de natura ſua, de viis, conſiliiſque erga nos ſuis eſt locutus: poteſtne igitur nobis videri mirum, ſi ea, quæ dicit, noſtrarum mentium captum excedit? Nobis, quorum lumina adeo brevia ſunt, ut pleraque ignoremus ea, quæ circa nos ſunt; & evaneſcamus ubi illa comprehendere volumus? Ratione hac Salvator utebatur, ut ad debitam verbo ſuo ſubmiſſionem redigeret Phariſæum, qui illum convenerat: *Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo ſi dixero vobis cœleſtia, credetis?* Deus locutus eſt, idque, ut nos de officiis noſtris erudiret: numquid cum Deo noſtro contendemus? Oportebitne, ut reddat ille actionum ſuarum rationem? Nonne ipſe Dominus eſt? Voluntas ejus nonne ſupremus nobis canon eſſe debet? Nonne penes illum arbitrium eſt nobis indigitandi, qua via velit nos ire ad ipſum. Deus denique locutus eſt, & ſibi vult credi: non credere illi, idem eſt ac inſultare ipſi, eique facere contumeliam, quam ille ſane impunem abire non ſinet. *Pater de la Mothe in Sermone de Fide.*

Cum de Fide agitur ſi humilitas, & docilitas deſint periculum eſt, ne quis incidat in impietatem.

Superbia, quæ ſcientiam ſubſequitur, efficit ſæpe, ut fides amittatur: Væ igitur ſcientiæ, cui comites non adſunt humilitas, atque ſimplicitas? Hęc ad impietatem adducit. Væ illis qui ſuum jactant ingenium, & qui de Religione loqui aggrediuntur! æquiſſima conatus eorum pœna eſt jactura fidei, in qua ſtare ceſſant? Væ illis, qui putant, ſe Religionis noſtræ myſteria fuiſſe aſſecutos, & qui hæc aliis explicare adnituntur! jam aliam habent Religionem, & myſteria noſtra ad nihilum redegerunt. Si ipſi intellexerunt ea, aliiſque intelligenda præbuerunt; ideas, & imaginationes ſuas ſubſtituerunt myſteriis noſtris, quæ ipſi everterunt. Facilius eſt, ut non credat aliquis ſe in propriis cogitationibus non evanuiſſe. Spiritus, qui inflatur, graviſſimis ſceleribus patrandis jam par eſt; ſæpe etiam eo ambitionis evadit, ut Deum ſuum negligat quia nequit illum cognoſcere. Ut Chriſtianus ſis, bono ſis corde, opus eſt; magnum non quæritur ingenium: e contra vero qui docilitatem, & humilitatem non habet, obeſt multo magis, quam prodeſſe valeat, pręſertim cum agitur de divinis, & de Religionis Chriſtianæ myſteriis. *Idem.*

Flocci facimus donum fidei, quia modicum fidei nobis eſt.

Si modico afficimur gaudio, quod adeo pretioſum munus accepimus, quale fidei donum eſt: hoc oritur quia non ſatis advertimus & ad infinita bona, quæ illa nobis proponit, & ad æterna mala, quæ a nobis præcipit evitanda. Dicam melius; inde oritur, quia nobis modicum fidei eſt; quia ſterilem dumtaxat languentemque fidem habemus. Fides enim viva, & animata proculdubio efficit, ut Dei promiſſiones, & minas recogitemus. Hæc nobis oſtendit & præceps extremum illud, quod culpa nobis intentat, & felicitatem, ad quam legis divinæ praxis nos adducit. Hæc ſumma replet lætitia animam, quæ videt ſe in eo ſtatu poſitam ope illius, ubi & funeſtum illum exitum evitare, & ineffabile hoc bonum promereri poſſit. Auge fidem noſtram Domine, anima fidem noſtram. Fac ut tanti, quanti opus eſt, æſtimemus locupletiſſimum hunc theſaurum: Fac ut illud cum hilaritate poſſideamus, & cum ſollicitudine tueamur. Confirma nos per hanc fidem, ut per illam reſiſtamus leoni rugienti, quærenti ſemper quem devoret, & indeſinenter vigilanti, ut nos perdat, ac detrahat in abyſſum, qua ille prior abſorptus fuit. *Auctor Recens.*

Fides noſtra ſatis evidenter confirmata fuit per revelationem a Deo Prophetis, & Apoſtolis facta.

Verum eſt, Fides jubet nos ea credere, quæ longiſſime captum noſtrum excedunt; ſed hæc haud ægre credimus, ubi cogitamus hæc nobis non ab homine, vel Angelo fuiſſe revelata. Si nobis diceretur; firmiter crede unum eſſe in tribus perſonis Deum: Dei Filium ex Virgine natum; Chriſtum mortuum eſſe, & reſurrexiſſe; quia Petrus, & Paulus, vel quia Iſaias, aut Jeremias hoc ſcripſerunt; nobis non deeſſet dubitandi cauſa; non auderemus adhibere fidem rebus adeo miris, innixi teſtimonio viri alicujus, ſimilis nobis. Tandem enim homines & falli poſſunt, & fallere; ut illis habemus fidem, cautionibus opus eſt, & jusjurandum exquiritur. Sed cum nobis dicitur, Deus magna hæc myſteria Prophetis, atque Apoſtolis revelaſſe, ex quibus accepimus illa, & cum ſcimus non illos, ſed per illorum os Deum fuiſſe locutum, nihil eſt, quod licet impoſſibile, nobis incredibile debeat videri. Non licet autem ambigere, utrum Dominus Prophetis, atque Apoſtolis fuerit locutus, & utrum per illos erudire nos voluerit de ſublimibus iis veritatibus, quas tot prodigiis confirmavit. Verum eſt illas, rationem humanam ſuperare; ſed ſi illas comprehendere poſſemus, hæc non eſſent amplius myſteria, ſed res vulgares, & Dei majeſtate indigniſſimæ. *Cardinalis Bellarminus in Opuſculis.*

Quam felix eſt in ſimplicitate Chriſtianus, qui credit ea, quæ non capit.

Quid nos maxime deceat: Deus ſcit. Chriſtianus ergo, qui nihil intelligere poſſet eorum, quæ credit ſeu luminum defectu, ſeu carentia ſcientiæ, ſeu quia Deus illum probare vellet, eum relinquens in tenebris, tunc dicere debet: *Beati, qui non viderunt, & crediderunt.* Tanta eſt Dei noſtri bonitas: voluit, ut fides quam a nobis expetit, conſiſteret in credendis veritatibus, quas nobis revelavit, non autem in illis intelligendis, & ita eſſet ad captum hominum etiam ſimpliciſſimorum accommodata, & cum interea Miniſtri Domini, qui ut ita dicam rationem reddituri ſunt fidei noſtræ, adlaborant, omneſque ætatis, & induſtriæ ſuæ nervos intendunt, hinc quidem ut illam probent, inde vero ut nos erudiant, ſatis beati ſumus qui tanto munere defungimur, ſimpliciter credendo! Igitur cum Dæmon vobis de fide ſuggerit dubia, & mentibus veſtris proponit difficultates circa noſtra myſteria, non aliud vobis reſpondendum eſt niſi illa verba: *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Hoc reſponſo tentatorem fugatis. Poſt hæc quænam eſſe poteſt vobis difficultas credendi, quod non intelligitis, Dei veſtri verbo inhærentes! *Deus magnus, vincens ſcientiam noſtram.* Quænam eſſet Dei noſtri magnitudo, niſi ſcientia, conſilia, providentia ejus hominum intellectum ſuperaret? *P. Segneri in Meditationibus.*

Jbo 31.

Tot ſunt religionis noſtræ probationes, ut in dubium revocanda non ſit.

Ut credamus Deum auctorem eſſe Chriſtianæ Religionis tot adſunt argumenta, ut veritas hæc in dubium revocari non poſſit citra inſignem dementiam; ſed voſmet ad credendum dumtaxat coarctate. Non jubemini hæc Religionis argumenta nequaquam cogitatione repetere: ſæpe illa recogitate, ac meditamini, ut veſtram felicitatem in pretio habere poſſitis, & ut non credentium calamitatem lacrymis proſequamini. Quanta miſeratione ſunt digni viæ hujus mortales! habent ob oculos civitatem ſalutis, quæ eſt *ſupra montem poſita*, nec vident illam, & non verentur percontari, ubi ſit: *Quis oſtendet nobis bona? Idem.*

Ratio humana, ubi illius lumina ſequimur non-niſi in errorem nos inducere poteſt.

Humana ratio dux infidelis, ſi lumina tua ſequerer, me miſerum faceres, & in errorem induceres. Quam miſer reipſa eſt incredulus, qui fidem ſuam rationi ſubmittit! Vivit ſine ſolatio inter anguſtias, ſine ſpe bonorum alterius vitæ, ſed vivere nequit ſine malorum ſibi impendentium metu. Hoc ſapienter juſſiſti Domine; Credo equidem, verum eſt, quod non intelligo; ſed hoc credo in verbo tuo. Spero bona, quæ non video: ſed ſpes, quam mihi præbet ſpes mea, efficit, ut in anteceſſum illis oblecter. *Idem.*

Felicitas eorum qui crediderunt quin viderent.

Beati, qui non viderunt, & crediderunt. Senſum horum verborum aſſequamur; apud quem ita loquitur Dominus: Hæc ille ait diſcipulo incredulo. Duo hæc longiſſime diſtant, quærere rationes unde fidem tuam probes. Jeſus Chriſtus reprehendit S. Thomam non credentem, & quærentem rationes ut crederet: *niſi videro non credam.* Sed Chriſtiani, qui vere fidem habent, non ita credunt. Quærunt argumenta ad confirmandas veritates, quas jam credunt, ut explicent illas, eaſque aliis oſtendant; quod non quidem incredulitatis ſpiritu operantur, ſed propter fidei ſuæ amorem. Itane ſinguli ſecundum ſtatum noſtrum operamur? Oremus Dominum, ut nobis communicare dignetur unicum veri luminis, quo

ſeptus eſt, radium: Reſpice Domine, benigne famulum tuum, & magis magiſque doce me mandata tua. Tantum abeſt, quod fides hoc illuſtrata lumine capienda non ſit, ut immo ſit donum Spiritus Sancti; donum videlicet intellectus, per quod homo fidelis perfectius concipit id, quod fide ſua dignum eſſe arbitratur. *P. Segneri.*

Doctorum virorum lumina fidei meritum non minuunt.

Illuſio eſt putare, quod quærere cauſas ad confirmanda ea, quæ jam creduntur ſit imminuere velle meritum fidei. Re ipſa imminueretur ſecundum impreſſionem, quam in animum noſtrum facerent. Sed ſicuti fides noſtra pro fundamento habet verbum Dei, debemus ſemper credere cum eadem firmitate, cum firmitate inconcuſſa, tunc etiam cum omnibus rationibus noſtris caligine obductis, ipſi in tenebris permaneremus. Verus fidelis non finit nutare fidem ſuam, non ſecus ac ſuam confidentiam. *Ego ad Deum clamavi, & Dominus ſalvabit me. Veſpere, & mane, & meridie narrabo, & annuntiabo: & exaudies vocem meam. Idem.*

Pſal. 54.

Sanctorum lumina ad eorum augendam fidem conferunt.

Lumina S. Gregorii, S. Ambroſii, S. Auguſtini, totque aliorum Sanctorum Doctorum numquid imminuerunt meritum fidei illorum? E contra ad illud augendum contulerunt. Quia quo magis intelligitur quod creditur, eo magis illud amamus. Si ergo tunc fides minus meriti haberet ex parte una, multo plus haberet ex altera. Tunc creditur, verum eſt facilius, ſed amatur impenſius; & quinam ambigit, quominus fides majus habeat meritum, cum charitas, quæ anima illius eſt, ut ita dicam, eſt major? Ne abutamur igitur verbis iſtis. *Beati, qui non viderunt, & crediderunt*, ad Fideles damnandos, quibus cum ſatis non ſit credere, ſtudent, ut fidei veritates ſcrutentur. Jeſus Chriſtus hic eos tantum damnat, qui nihil credere nolunt, quod non intelligunt. *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis.* Hæc profecto magna terræ felicitas eſt ſimiles eſſe quodammodo Beatis, qui omnia perſpicue vident in Cœlo. *P. Segneri in Meditationibus.*

Luc. 10.

Quænam ſint indicia fidei infirmæ, & languentis.

Fidem infirmam voco affectionem, in qua plerique verſantur eorum, qui credere profitentur; ſed qui non ſatis fortiter adhærentes veritatibus, quas credunt, vitam ducunt inertem, & ſanctitati Religionis ſuæ parum conformem. Fides, exempli gratia docet nihil eſſe neceſſarium niſi quod ſpectat ad æternitatem, vel ſaltem omnia, quæ fluxa, & peritura ſunt, reſpicienda eſſe tamquam nullius momenti: a mortis momento pendere ęternum ſtatum ſingulorum ſive pro inferni ſuppliciis, ſive pro Cœli gloria: momentum hoc, ubi exceſſerit, nullum amplius reditum fore ad Dei tribunal, quod neque flecti, nec falli poteſt, ſingulos habituros ſolatium, vel pœnam, prout ſe bene, vel male in hac vita geſſerint: ſpem, metum, bona, & mala temporalia tum deſitura, ne revertantur amplius. Hæ ſunt veritates de fide, quæ in dubium revocari non poſſunt. Qui cor habet magnis hiſce principiis plenum, & qui illa in praxi ſequuntur, firmi ſunt in fide: ſed natura, & ſenſus humanus fidei oppoſitus docet vivere ſecundum mores ſæculi; amare voluptates, ambire dignitates, immenſas opes congerere. Hæc faſcinatio eſt, & illuſio. Si hæc majus habent pondus in mente, & in corde, quod revelatarum veritatum ſoliditas; jam infirmi ſumus in fide. *P. Surin in Dialogis Aſceticis Tomo 3.*

Qui vivam habet fidem profunda pace fruitur.

Viva hæc fides infundit in animam ſuavitatem pacis, quæ ſuperat omnes ſenſuum voluptates. Figit intellectum in ea fide, quæ licet rationem exſuperet, tamen omnino ſatisfacit rationi per ſolida argumenta, quibus innititur. Hæc regit vitæ rationem diſciplinæ ſanctitate, ſapientia principiorum ſuorum, & legum ſuarum norma. Extrudit ex ſocietate, variiſque vitæ ſtatibus, quidquid turbare poteſt pacem, ordinem, & innocentiam. Replet perfecte cor fine glorioſo, quem illi deſtinat. Perfecte ſatisfacit ſpiritui, hunc attollens uſque ad originem rerum, illum perſuadens nexu veritatum, quæ ultro citroque ſibi perhibent teſtimonium exhibens illi admirabilem hanc veteris, novique Teſtamenti connexionem. *Abbas du Jarry Sermone de Magnalibus J. C.*

Quot periculis pateat homo ſine fide.

Sine fide in Jeſu Chriſto homo ſine duce eſt in cogitationibus ſuis, ſine fræno in cupiditatibus, ſine termino in ſpe, ſine objecto in deſideriis, ſine deliberatione in fine. Navis eſt ſine nauta fluctuans ad arbitrium ventorum, ac procellarum in mari ignoto; ſemperque præſto, ut illidat in ſcopulum injuſtitiæ, incerta, ac neſcia quam religionem ſequatur. Ratio, quæ illum a brutis ſecernit, efficit, ut nonnumquam brutali invideat ſtupiditati. Quin illius lumina ſanctis Religionis uſibus conſacret, illis abutitur ad hanc dedecorandam atque impugnandam. Illam adhibet, ut ſibi officiat, ut, quantum in ſe eſt, deſtruat hanc immortalem ſpiritus divini particulam, & in nihili horrore perfugium quærat adverſus ſtimulos, quos illa ciet. Præteriti memoria illum urget; præſentis cura ſollicitat, futuri expectatio perturbat: ſepulcri adſpectus perterret: & quocumque ſe vertat, nullum invenire poteſt ſitum, ubi quieſcat. En quid eſt homo ſine Religione, & fide Jeſu Chriſti. *Idem ibidem.*

Certiſſimas habemus cauſas fidem noſtram figendi.

Felix anima, quæ incidit in præclara Chriſtianæ Religionis vincula! quæ ambulans in via hac, quæ ducit ad Cœlum, & quæ a Cœlo deſcendit, ducem habet illum, qui viæ hujus & principium, & finis eſt. Fateor, Domine, me tibi debere quidquid ſum, & intellectum meum, cum ſit pars mei præcellentiſſima, potiſſimam eſſe debere partem Sacrificii Juſtitiæ, quod exigis ab homine, illum ſub ſancti verbi tui jugo captivans. Quid credam, Domine, niſi te credidero? Quid figere poterit fidem meam, ſi ſpiritus meus adhuc fluctuat, poſtquam tu locutus es? Audita fuit vox tua ab initio mundi per Patriarchas, & Prophetas, & in temporum plenitudine tu ipſe locutus es, ac reliquiſti adeo perſpicua veritatis verbi tui ſpecimina, ita ut ignorari non poſſit. Omnia in veteri, novoque Teſtamento loquuntur de te: omnia te promittunt, annuntiant, exhibent, repræſentant: Hominibus apparuiſti per lucidas umbras veritatis, quam figurabant, eaſque diſſipaſti univerſas ſtatuens thronum tuum in Sole per ſanctæ Religionis tuæ perſpicuam manifeſtationem. Addidiſti, ut ita dicam, colores, extremamque manum omnibus his propheticis lineamentis Jeſum Chriſtum referentibus, & feciſti, ut Prototypus adeo facile cognoſceretur, ut ſe ipſum occæcet opus ſit, qui te per fidem non videt. *Idem ibidem.*

Magna nobis felicitas eſt credere in Jeſum Chriſtum; quoniam vita æterna eſſe debet pretium fidei noſtræ. In eum non credere magnum ſcelus eſt; hoc enim eſt non habere fidem teſtimonio, quod Pater Æternus perhibuit de illo per hæc verba: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipſum audite*; & criminis hujus reum eſſe grave malum eſt, quandoquidem meretur iram Dei, & auctorem prohibet aditu in vitam æternam. Verum ipſine miſeræ hujus infelicitatis, nec opinantes, rei ſumus? Nonne operibus noſtris impugnamus teſtimonium, quod verbis nos recipere profitemur? Fides noſtra eſtne fides illa victrix Mundi, quam habere debent, quicumque ex Deo nati ſunt? Non audebimus ultra aſſerere, o Domine, nos in Jeſum Chriſtum credere, quando quidam Apoſtolus aſſerit, credentem in illum de mundo jam retuliſſe victoriam. Non eſt credere in Filium tuum, amare, quod jubemur odiſſe; metuere, quod jubemur contemnere, & ſequi quamcumque viam aliam ab ea, quam ille nobis oſtendit. Occupati amore mundi, mancipia cupiditatum omnium, quæ nos mundo conjungunt; nullo rerum cœleſtium amore ducti, quomodonam dicere poſſumus nos eſſe adhuc filios tuos, & habere adhuc fidem, quam exigis a nobis? Hanc nobis in Baptiſmo Deus contulit fidem, quæ de mundo triumphare debet, ſed hæc propter initam a nobis cum inimico ipſius neceſſitudinem infirmata eſt. Modicum fidei nobis eſt, fidei etiam languentis. Credimus Jeſum Chriſtum eſſe Dei Filium, ſed credimuſne hoc cum ea fide, quæ martyres facit? Petamus ab illo conſtantiam moriendi in fidei hujus confeſſione, ſi quando illam proprio ſanguine confirmare juſſi fuerimus. *Torneux in Tomo 6. Anni Chriſtiani.*

Matth. 5.

Multi religionem conſtituunt in vita frugi, ut Ethnici, qui probi extiterunt.

Quot videntur mortales, qui eo quod ſentiunt ſibi cor eſſe ſatis rectum, & alienum ab injuſtitia, ſibi blandientes reſpiciunt tamquam inutilia, & ad ſe minime ſpectantia myſteria fidei, quę nullam habent, inquiunt, rationem cum vita civili, neque ullo pacto influunt in mores. Quot mortales, qui conſcientię ſtimulis immunes, quæ res illos in periculoſa requie relinquit, vel etiam fortaſſe efficit, ut ſibi plaudant, omnem Religionis eſſentiam redigunt ad morum diſciplinam, quæ nullo ipſis ſtat impendio, & aliquas virtutes, quibus a natura donati ſunt cœleſtibus præferunt virtutibus, quas a Deo recipimus! Illi ad has uſque virtutes, quæ ad Jeſu Chriſti diſcipulos pertinent, & quæ ob nimiam ſublimemque perfectionem ſuam Philoſophos fefellerunt, nequaquam ſe attollunt, Seſe intra illas continent, quas ratio naturalis, & communis ſo-

BIBLIOTECA CENTRAL

cietatis utilitas ab hominibus exigunt. In hoc ſeſe coarctant ut ſint imitatores Socratis, & Catonis; & hujuſmodi fideles ſuperbi eo quod ſimiles ſunt Ethnicis, obliviſcuntur Deum eſſe prototypum ſuum, & aliud quodvis exemplar imitari ſeſe de gradu dejiciunt, atque dedecorant. *Sermo primus Accademiæ anno 1695.*

Quam diverſæ ac erroneæ ſunt ſententiæ ubi de Religione agitur.

Complures ſunt in orbe Chriſtiano, qui gloriantes, ſe penitus adhærere veritatibus fidei, minus morum diſciplinam teſtantur; & adeo fidenter in hoc ambulant tramite, ac ſi in certiſſima ſalutis via verſarentur. Sibi fingunt Deum nobis indulgentiorem pro infirmitatibus cordis, quam pro erroribus mentis. Theoretica dogmata, quæ illis crucem non figunt, videntur ipſis magis neceſſaria, quam virtutes, quæ vel minimum ipſis negotium faceſſunt, & nonnumquam etiam ſibi perſuadent licere ſibi hæc dogmata non ſine aliarum virtutum detrimento ſuſtinere. Geſtiunt ſibi vias ab aliis ſemotas proponere, & deſpicientes eas, quæ ad cœleſtem vulgares animas poſſunt adducere, ſibi quamdam fingunt Chriſtianiſmi ſpeciem ad arbitrium, quæ non ſit cum aliis communis. Non acquieſcentes ideis perfectionis, quas ipſe Spiritus Sanctus nobis revelat ad alius vitæ genus adſpirant, & ſæpe commentitiis officiis, quæ ipſi ſibi propoſuerunt, ſacrificant ea, quæ Deus illis imponit, & quæ evitari non poſſunt. Alii vero nimis confidunt in communi via, quæ nonnumquam ſua habet pericula. Tandem abuſus, & laxitates jam probari videntur, cum in conſuetudinem abierunt. *Ex eodem Sermone.*

Curioſitas noſtra, ubi de fide agitur, facit, ut omnes ſententiæ deis noſtris oppoſitæ minime vacuæ ſint ſuſpicione.

Si nobiſmet perſuademus ſatis ſedulam æquitatem ſufficere ad noſmet coram Deo juſtificandos, & nobis impune licere in dubium vocare, vel nullo in diſcrimine habere veritates Eccleſiæ revelatas: deciſiones hujus cauſæ non cordis, ſed mentis affectiones fuere. Hujus inſana curioſitas illam conjecit in perquiſitiones, quibus par non erat. Hujus præſumptio illi in ſuſpicionem accerſit, quod non aſſequitur. Hujus naturalis ſuperbia illam avertit ab iis omnibus, quæ ſupra illam ſita ſunt. An e contra non ſine magna veritatibus fidei ſubmiſſione ſperamus nos inexcuſabilia, & fere innoxia efficere poſſe morum flagitia, nonne palam conſtat judicium hoc proficiſci ex corde corrupto & fallacibus voluptatum illecebris capto? Quam indignus fidei uſus? Hanc plurimi ſequuntur non ſine ea cura, qua debent; ſed ut virtutis hujus pallio ſexcentas contegant infirmitates. In fide inveniuntur abuſus uſque in ſingulari hominum vita, quæ ignotam reliquis fidelibus perfectionem promittit. Hæc placet vanitati noſtræ, quæ ſemper niteſcere quærit, in ipſis etiam auſteritatibus, & mortificationibus. Cum vero cæce confidimus in abuſibus, communibuſque laxitatibus; nobis eas mundus inſpirat, ac mollities noſtra confirmat. *Ex eodem Sermone.*

Duci debemus lumine veritatis, ut ad eamdem veritatem ducamur.

Si error juſtum efficere poſſet nocentem, vel hujus injuſtitiam excuſare: error quodammodo eſſet veritate ipſa optabilior; neque admodum laborandum eſſetne quis erraret, ſi per errorem pervenire poſſet ad eumdem terminum, quo perveniunt, qui veritatem ſequuntur. Verum non ita; ad veritatem via veritas eſt: alia quælibet in abyſſum deducit; quilibet alius dux vel cæcus eſt, vel infidelis. Cum Dei Filius ſe viam, & veritatem eſſe profiteatur; qui aliud iter ingreditur, non fallitur ſolum, verum etiam ſe in errore ſuo inexcuſabilem reddit. Etenim poſt tale Oraculum, ſeu minime velis veritatem cognoſcere, ſeu re ipſa illam minime cognoſcas; æque nocens es, ſive illam aſtu eludas, ſeu per adfectatam ignorantiam ab illa recedas. *Sermo Quartus Accademiæ anni 1695.*

Ad errorem vitandum, vel inde emergendum plures requiruntur qualitates. Prov. 3.

Quoniam adeo difficile eſt ex errore emergere, & adeo terribile in eodem verſari: quid faciendum eſt, ut illum evitemus? Tibi tuæ prudentiæ fidendum non eſt, Sapiens reſpondet: *Prudentiæ tuæ ne innitaris*, & noli eſſe tibi dux, & conſiliator. Cavendum eſt, ne incidas in novitates periculoſas, neque in recentes modos ſaluti ſuæ conſulendi. A Deo petendus eſt ſpiritus intellectus & ſapientiæ ad veritatem cognoſcendam; ſpiritus manſuetudinis, ad illam audiendam, ſpiritus fortitudinis ad ſequendam, ſpiritus zeli ad efficiendum ut iis regnet in locis, unde in exilium acta eſt. Ita non ſolum cognoſcemus veritatem, verum etiam cum ardore ſequemur illam. Ita nobis incedentibus in lumine fidei, tenebræ erroris nullam poterunt projicere umbram in vias noſtras, & ne latum quidem unguem nos amovere ab eo tramite, quem Patres noſtri ſecuti ſunt perventuri ad beatam requiem, quæ eſt ſedes credentium, & ubi nihil nobis erit metuendum a ſalutis noſtræ inimicis. *Sermo Idem.*

Quo tempore fides ſit obſcura & lucida.

Hoc fidei proprium eſt, quod ſimul obſcura ſit, & lucida, quod nos ſuis tenebris illuſtrat, quod nos occæcat, ut illuminet, & quod nobis detegit Dei Filium ſub humiliationum ejus integumento, aut ſub fulgore ſuorum magnalium abſconditum. Deducamus has magni momenti veritates, & faciamus Fidei panegyricum, ut illum fidelis Apoſtoli noſtri abſolvamus. Fides nos excæcat, cogit enim, ut noſtro abrenuntiemus intellectui, ut hunc ſacrificemus Deo, & credamus veritates, quas intelligere non poſſumus: *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium fidei.* Sed eodem tempore, quo nos excæcat, nos etiam illuminat; & cum oculos nobis claudit, ſimul etiam eos nobis aperit; adfert enim divinum lumen animabus noſtris, efficitque, ut cognoſcamus veritates, quas nos credere jubet, & lumen eſſe videtur premium ſuæ obſcuritatis. *Fides eſt oculus cordis; videt, qui credit, & credendo intelligit. Ex Panegyricis Sanctorum Tomo 1.*

Fides non conſiſtit in ſola Theoria ſed in praxi. Opus eſt hanc producere fructus.

Fides noſtra non eſt Theoretica tantum, ita ut in mente ſubſiſtat: rebus in omnibus nos ad agendum impellit propter ea, quæ nobis oſtendit; Deum quidem ut illum colamus, diligamus, timeamus; virtutes, ut illas exerceamus, cupiditates, ut illas coerceamus. Ad id illa nos impellit. Origo eſt fœcunda, & perennis ſanctarum actionum, neque enim niſi ex operibus cognoſci poteſt quænam ſit fides ſingulorum. *Fides*, S. Auguſtinus ait, *eſt facere quod dicis*, Hæc eadem cogitatio impulit Hæreticos, ut afferrent dogmata prorſus oppoſita fidei, aptiſſima ad cupiditates fovendas, & vitia probanda, perſuaſum quippe illis erat ſe non poſſe mentes ſeducere, niſi prius voluntatem corrupiſſent. Illorum etiam hæreticorum, qui ſeveritatem crepant, principia ad licentiam tendunt. Fieri igitur nequit, quod qui, ſub colore non incidendi in nimis ſimplicem, atque imprudentem ſeveritatem, quaſdam execrentur veritates, quæ amori proprio minime velificantur. Fieri, inquam, nequit, quod homines hujuſmodi habeant veram fidem, quæ eſt Chriſtianarum virtutum principium; fieri nequit, ut habeant aliquid probitatis. *P. la Peſſe Tomo 2.*

Qui credit nullum ſubit periculum; qui ſecus, periculum adit æternæ infelicitatis.

Qui Chriſtianam credit Religionem, nullum ſubit periculum, vel quod ſubit, eſt amittendi fragiles voluptates, leves oblectatiunculas, non diu manſuras, quas melior ipſa mundi pars execratur; quæ ſexcentis mixtæ ſunt ſollicitudinibus, quas ſemper graves excipiunt moleſtiæ, & quæ ſæpe ſunt pluri morum malorum origo. E contra vero qui Chriſtianam Religionem non credit longe graviſſimum periculum ſubit, miſeræ videlicet æternitatis, malorumque ineffabilium, ac omni fine carentium. Licet impius validiſſimis argumentis actus impietati ſuæ vellet adhærere; hæc una infeliciſſimæ æternitatis cogitatio deterrere illum poſſet, ſi quæ boni ſenſus, atque rationis ſcintilla in eo ſupereſſet. *Recens Auctor.*

BIBLIOTECA CENTRAL

FILII.

Filiorum erga Parentes Officia.

MONITUM.

Hoc in loco agimus tantum de Filiorum erga parentes officiis, quin de Parentum officiis erga filios verba faciamus, de quibus alibi recurret ſermo. Argumentum hoc non adeo anguſtiis finibus continetur, ut pro utili, atque ad erudiendum accommodata Concione ſatis uberem rerum copiam nequeat ſuppeditare. Mihi quoque ſtupor inceſſit, quod pauciſſimi Concionatores argumentum hoc pertractaverint, eumque Catechiſtis, Caſuiſtis, Theologiſque fere intactum reliquerint, qui de Dei Mandatis agunt, inter quæ hoc non poſtremum obtinet locum. Latius etiam diſſerere licet de hujus præcepti juſtitia, de naturali lege, deque civili jure, quod hoc etiam, atque etiam commendat, ejuſque infractoribus pœnas infligit, de jure patriæ poteſtatis, deque maledictionibus, quas ipſe Deus in filios rebelles, atque inobedientes ejaculatur. Ex his omnibus patebit via, qua hoc argumentum procul a Catechiſmi ſtylo, atque ordine poſſit pertractari.

Nemo unus ignorat præceptum hoc parentes honorandi, latius patere, quam primo ſtatim intuitu videatur; extenditur enim ad Patres Spirituales, Confeſſarios, Directores, Præſules, & eos, qui dignitate aliqua ſive Eccleſiaſtica, ſive ſæculari inſigniti ſunt; ſed hæc noſtri non ſunt argumenti, vel ad alia referuntur, quæ alibi a nobis tractata fuerunt.

Cæterum quamvis hoc argumentum Concionatoribus æque, & Catechiſtis commune ſit, non deeſſe tamen debet diſcrimen in ipſa ejus pertractandi ratione cum hoc temperamento, quod ſi Concionator ſeſe ad ſingula demittere debet, quod facere tenetur Catechiſta, neceſſaria tamen præcepta non debet negligere, ut adfectata elevatione ordinem, ſtylumque Catechiſtæ relinquat.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus Argumenti delineationes.

I. Ne videar vobis, auditores, augere velle præcepta Dei, filiorum erga parentes officia multiplicans; quandoquidem mandatum illud, ubi de hac re ſermo eſt, reverentiam dumtaxat parentibus filii præſtare jubentur, cum dicat: *Honora Patrem tuum.* Illa, fateor equidem, ſine ulla neceſſitate multiplicarem, niſi a viris doctis didiciſſem, honorem, quem deferre jubentur liberi in hoc precepto tria continere; videlicet dilectionem, ſubmiſſionem, & operam. 1. Honor amorem, & dilectionem complectitur; hic enim dilectionis actus honori adeo eſt eſſentialis, ut Theologi illum hujus originem, fontem, atque radicem eſſe teſtentur: *Dilectio radix eſt honoris.* Profecto amorem aufer a reverentia, nihil reſtat niſi inane officium, atque exterior urbanitas: itaut oporteat, honorem, quem parentibus ſuis adhibet filius ex amoris, & dilectionis principio procedere. 2. Honor etiam ſubmiſſionem deſignat, non enim ſatis eſt a me eos coli, a quibus in hanc lucis uſuram editus ſum, opus eſt etiam, ut rebus in omnibus ab eorum nutu pendeam, atque me ipſum dicto illorum ita obtemperantem oſtendam, ut nihil ſine eorum juſſu, aut facultate aggredi audeam. 3. Honor non ſolum amorem, & obedientiam efflagitat, ſed præcipue operam ipſam depoſcit; Deo enim ſatis non eſt ſimpliciter vel cor amans, vel mens ſubmiſſa, manuum etiam effecta requirit; neque filius, qui parentes honorare jubetur, Dei gratiam mereri poſſet, niſi huic honori vera accederet in parentum neceſſitate ſubſidia. Hæc mea quidem ſententia S. Bonaventura triplici verbo indigitavit, cum de hoc præcepto verba faciens, ac de honore, quem parentibus liberi adhibere tenentur, differens ait, hunc in tribus poſitum eſſe debere, in dilectione, reverentia, & obſequio: *Eſt honor dilectionis, eſt honor reverentiæ, eſt honor obſequii.* Libenter ejus ſententiæ ſubſcribo, ſed ut faciliorem adſtruam ideam, & quam omnes retinere poſſint, ad amorem id transfero, quod ille de honore, ac reverentia generatim adfert; & huic innixus fundamento oſtendendum propono, eo in præcepto quod nobis hodie irrogatur de parentibus honorandis, triplex amoris genus requiri, reverentiæ, obedientiæ, & obſequii. Tria hæc officia, quæ facile palam fient argumentis deinceps afferendis, ſermonis hujus partitionem conſtituent.

II. Conſtans eſt veritas, atque in morali diſciplina generale principium eſt, parentibus erga eos, quos genuere, duplicem eſſe qualitatem, vel prærogativam, quæ a genitis duplex officium requirunt, & illis duo inevitabilia irrogant munera. Primum eſt cognationis vinculum, quo nullum arctius in natura; alterum dignitas, quam Deus, & natura patribus in liberos conferunt. Ex duplici hac autem qualitate conſequitur, Deum, rationem, atque civilia jura, amorem, & reverentiam in filiis expetere erga eos, quibus hanc vitam debent. 1. Propter hanc cognationem illis filialem debent amorem, quo nullus major, & æquior, poſt illum, qui impenditur Creatori, creaturæ ulli eſt impendendus; quapropter mandatum hoc, quod irrogavit Deus, ſtatim iis ſubnectitur officiis, quæ ſibi præſtari jubet, atque in altera tabella primum obtinet locum. 2. Propter hanc dignitatem, atque ſuperiorem auctoritatem, filii parentibus integram debent ſubmiſſionem, & obedientiam omnibus eorum imperiis, quæ non ſint Dei mandatis oppoſita; obſequium omnibus eorum ſententiis, & conſiliis in iis, quæ ad negotia, fortunas, omnemque hujus vitæ rationem pertinent.

Filiorum erga parentes officia ad tria rediguntur. III.
1. Ad honorem, & reverentiam, quia erga illos Dei obtinent locum, & filii ab illis vitam, & quidquid habent receperunt. 2. Ad obedientiam, & ſubmiſſionem, cum enim adoleſcentia conſilio, ac regimine indigeat, undenam hoc melius recipere poſſunt, quam a genitoribus ſuis, qui maxima pollent experientia, qui ſummo illos amore proſequuntur, & quorum intereſt liberorum ſuorum utilitas? 3 Ad opem, ſubſidiumque quod laborantibus patribus filii præſtare tenentur.

Tres rationes ex Sacris depromptæ litteris nos parentes noſtros colere, eos amare, eiſque famulari cogunt. IV.

Prima deſumpta eſt ex D. Paulo *c. 6. Epiſt. ad Epheſ.* Filii, *obedite parentibus veſtris, hoc enim juſtum eſt.* Hoc juſtum eſſe, & ad hoc omnia juſtitię jura nos compellere, oſtendendum eſt.

Secunda, quia Deus hoc jubet, atque explicite præcipit: *Filii obedite parentibus per omnia, hoc enim placitum eſt in Domino* inquit idem Apoſtolus *ad Coloſſenſes c.* 3. Oſtendendum eſt, hoc præceptum a Deo irrogatum rationi eſſe conforme, & eidem maximæ eſſe curæ, quandoquidem tantam in hac etiam vita mercedem pollicetur illis, qui eidem parebunt, atque adeo terribiles minas intentat illis, qui ipſum perfringent.

Tertia, quia ad id nos cogit grati animi ſenſus, quod inferri debet ex illis Eccleſiaſtici verbis cap. 7. *Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliviſcaris: memento quoniam niſi per illos natus non fuiſſes: & retribue illis, quomodo & illi tibi.* Oſtendendum eſt, quemadmodum poſt Deum nemo eſt,